[illegible]

COLLECTIO
CÆREMONIARUM ET PRECUM

AD USUM

CLERICORUM EXCALCEATORUM

SS. CRUCIS ET PASSIONIS

D. N. J. C.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTA

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN EPHEBEO A PIO IX

JUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH

1912

JEREMIAS A SS. SPINIS

CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM

SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

PRÆPOSITUS GENERALIS

Deficientibus jamdudum exemplaribus Collectionis Cæremoniarum et Precum ad usum Congregationis Nostræ, alteram editionem imprimi oportuit, iis additis aut emendatis, quæ res aut opportunitas postulare videretur. Quapropter tribus Superioribus Generalibus onus et munus mandavimus ut solerti studio hanc editionem curarent: cumque res optato cesserit, novam cæremoniarum et precum Collectionem imprimi jubemus; si iis ad quos pertinet, ita videbitur: ac universis, qui sacris muneribus perfunguntur, edicimus, ut hac Collectione omnino in posterum utantur: ac omnia adamussim servent, quæ in eadem præscripta leguntur.

Auspicem demum donorum cœlestium benedictionem universis impertimur.

Romæ ex Recessu SS. Joannis et Pauli, die festo Visitationis B. M. V. an. 1912.

L. ✠ S.

Jeremias a SS. Spinis
Præpositus Gen. C. P.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Franciscus Faberi Vic. Urbis Adsessor

PARS PRIMA

RUBRICÆ SERVANDÆ IN SACRIS FUNCTIONIBUS

§ 1. De Festorum Diversitate.

Festa in nostra Congregatione celebranda triplicis sunt generis: id est vel duplicis primæ classis; vel duplicis secundæ classis; vel duplicis simpliciter, quæ vocari solent a nobis Festa Regularia.

Festa primi generis,
seu duplicis primæ classis, cum cantu Matutini,
Missæ solemnis et utrarumque Vesperarum, sunt sequentes:

1. Nativitas Domini.
2. Epiphania Domini.
3. Commemoratio solemnis Passionis D. N. J. C.
4. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
5. Commemoratio solemnis S. Joseph Sponsi B. M. V. Conf.
6. Annuntiatio B. M. V.
7. Feria V. in Cœna Domini.
8. Sabbatum Sanctum.
9. Pascha Resurrectionis.
10. Solemnitas S. Joseph Sponsi B. M. V. Conf., Ecclesiæ Universalis Patroni.
11. Festum S. Pauli a Cruce Patris Nostri, Conf.
12. Ascensio Domini.
13. Pentecostes.
14. Festum SS. Trinitatis.
15. Commemoratio solemnis SS. Corporis D. N. J. C.
16. Festum SS. Cordis Jesu.
17. Nativitas S. Joannis Baptistæ.
18. Fest. SS. Petri et Pauli Apost.
19. Assumptio B. M. V.
20. Dedicatio Ecclesiarum Nostræ Congregationis.
21. Exaltatio S. Crucis.
22. Festum Septem Dolorum B. M. V. mense septembri.
23. Dedicatio S. Michaëlis Arcang.
24. Festum Omnium Sanctorum.
25. Præsentatio B. M. V.
26. Immac. Conceptio B. M. V.
27. Titulus propriæ Ecclesiæ.

Festa secundi generis,
seu duplicis secundæ classis, cum Missa cantata tantum,
sunt ea quæ sequuntur:

1. Circumcisio Domini.
2. Festum SS. Nominis Jesu.
3. Purificatio B. M. V.
4. Festum S. Mathiæ Apostoli.
5. » SS. Philippi et Jacobi Apostolorum.
6. » Inventionis S. Crucis.
7. » S. Jacobi Apostoli.
8. » S. Bartholomæi Ap.
9. Nativitas B. M. V.
10. Festum S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ.
11. » SSmi Redemptoris.
12. Festum SS. Simonis et Judæ Apostolorum.
13. » S. Andreæ Apostoli.
14. » S. Thomæ Apostoli.
15. » S. Stephani Protomartyris.
16. » S. Joannis Ap. et Ev.
17. Festa autem S. Laurentii M. ac SS. Innocentium ex albo Festorum nostrorum expuncta sunt: manente tamen obligatione Missam applicandi pro Benefactoribus.

Festa tertii generis,
seu Regularia, hæc recensentur:

1. Cathedra S. Petri Apostoli, Romæ.
2. Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph.
3. Conversio S. Pauli Apostoli.
4. Cathedra S. Petri Ap. Antioch.
5. Festum Septem Dolorum B. M. V. tempore Quadrages.
6. Festum S. Marci Evangelistæ.
7. » B. M. V. de Bono Consilio.
8. » B. M. V. sub tit. « Auxilium Christianorum ».
9. Festum B. Gabrielis a Virgine Perdolente e N. Congr. Conf.
10. Visitatio B. M. V.
11. Festum Prodigiorum B. M. V.
12. » B. M. V. de Monte Carmelo.
13. » S. M. Magdalenæ Pœn.
14. Dedicatio S. Mariæ ad nives.
15. Festum B. M. V. de Mercede.
16. Solemnitas SS. Rosarii B. M. V.
17. Festum S. Lucæ Evangelistæ.
18. Transl. Alm. Domus B. M. V.
19. Expectatio Partus B. M. V.

§ 2. De Luminaribus, de Reliquiis exponendis, de Expositione Ss. Sacramenti, ac de Superiorum jure et ordine in Sacris functionibus.

1. Vesperarum et Missæ solemnis tempore, sex tantum candelæ ardeant super Altare: nec requiruntur, quando canitur Missa, candelæ duæ accensæ super mensam; (*Decr. Auth. S. Rit. Congr. n. 3759 ad 1*). In aliis Altaribus duæ candelæ, eodem tempore, accendi possunt. Quando canitur Matutinum vel Hora Tertiæ, quatuor luminaria super Altare ardeant. Quando autem canitur Missa, in Festis de ritu duplici secundæ classis, sex item candelæ accendantur.

2. Quotiescumque aliqua Reliquia exponitur, duo saltem lumina debent apponi (*Decr. n. 2067 ad 9*): quod servandum est etiam in expositione Imaginis sculptæ Infantis Jesu. Ante Reliquias vero Præsepis Domini, vel S. Crucis, vel aliorum instrumentorum Passionis Jesu quatuor candelæ accendantur.

3. Hæ Reliquiæ et ipsa Imago Divini Infantis triplici ductu thurificandæ sunt a Sacerdote stante (*Decr. nn. 2324 ad 2 et 3288*); facta antea et postea genu flexione coram iisdem Reliquiis, et profunda inclinatione coram Imagine Infantis divini. Aliæ autem Reliquiæ duplici tantum ductu thurificantur, cum profunda inclinatione.

4. Supradictæ Reliquiæ exponuntur diebus sequentibus: nempe Reliquia S. Crucis in Festis Inventionis et Exaltationis ejusdem; nec non in Solemni Commemoratione Dominicæ Passionis.

Imago Infantis Jesu (plerumque Præsepis Reliquia eidem adnexa), exponitur in nocte Nativitatis Christi, et exposita manet per totam diem: itemque in duabus diebus sequentibus. Exponitur insuper in Festis Circumcisionis et Epiphaniæ.

Reliquia B. Mariæ V. exponitur in Festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, VII. Dolorum, Præsentationis, et Immaculatæ Conceptionis. Cæteræ vero Reliquiæ Sanctorum, si adsint, illis diebus exponi possunt, in quibus canitur Missa de iisdem Sanctis.

5. Reliquiæ exponuntur post Tertiam, et expositæ manere debent usque ad Sextam. Ante vel post Completorium, iterum publicæ venerationi exponuntur: statutisque recitatis precibus, cum illis impertitur benedictio; eædemque dantur populo osculandæ.

6. Expositio SSmi Sacramenti peragi debet cum decenti solemnitate. Si fiat tantummodo cum sacra Pyxide, sex saltem candelæ ardere debent super altare (*Decr. n. 1992*): si vero cum Ostensorio, duodecim candelæ apponantur (*n. 3480*); et etiam plures, si in Diœcesi ita sit præscriptum. Omnes autem candelæ, quæ inserviunt sive Missis, sive Expositionibus, ex Rubricarum lege, e cera apum constare debent. Hinc candelæ ex stearina pro usu sacro prohibentur (*Decr. n. 2865*); itemque ex sevo (*n. 3063*).

7. In Festis, quæ celebrantur sub ritu duplici primæ classis, sacra facere, tam ad Vesperas quam ad Missam, de jure pertinet ad Superiorem Domus jurisdictionem habentem. Si vero adsit aliqua Dignitas præcellens, eam invitare ad hoc aliquando convenit.

Ubi residet Præpositus Generalis vel Provincialis, ipsi solent Vesperas et Missam canere in præcipuis solemnitatibus: nempe in Nativitate et Epiphania Domini, in Feriis V. VI. et Sabbato Majoris Hebdomadæ, in die Paschæ et Pentecostes, in festo SS. Trinitatis, in Commemoratione Solemni SS. Corporis Christi, in festis Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis B. M. V.; nec non in festis Omnium Sanctorum, S. P. N. Pauli a Cruce et Tituli Ecclesiæ. Si vero absentes sint vel impediti, Præpositi vicem supplet aliquis e Consultoribus. Idem dicendum de sacris cæremoniis in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, in Dominica Palmarum et in Commemoratione omnium Defunctorum. Ex decretis autem S. Rituum Congregationis (*nn. 1333 ad 12 et 2783 ad 2*) benedictio candelarum cinerum et palmarum fieri debet per celebrantem: adeo ut is, qui benedicit, ad simul celebrandam Missam cogi possit etiam per censuras (*n. 946*); quamvis sit prima Dignitas (*n. 453*), vel etiam Episcopus Titularis (*n. 3798 ad 2*), aut Episcopus Administrator (*n. 2976 ad 8*).

8. Demum Missa solemnis, in Festis primæ classis, applicanda est pro Familia Religiosa: sed si celebret Præpositus Generalis ipse applicat pro tota Congregatione; itemque Provincialis pro tota Provincia; et tunc a Rectore Domus alia Missa lecta dicenda est pro Familia. Missa autem cantata, diebus secundæ classis, applicanda est pro Benefactoris viventibus.

§ 3. De agendis in Solemnitate Nativitatis Domini.

1. In Vigilia Nativitatis Christi, in Choro privato et præsente Communitate, Martyrologium canit prima Recessus Dignitas: induitque superpelliceum et pluviale violacei coloris. Assistunt eidem duo Acolythi cum cereis accensis; tertius cum thuribulo ad thurificandum librum Martyrologii; quartus ad prosequendum cantum. Ad verba In Bethlehem Judæ omnes de choro genua flectunt: et post alia Secundum carnem genua flectunt etiam Sacerdos et Acolythi. Inde, post brevem moram, omnes surgunt: Sacerdos et Acolythi recedunt; atque cantum prosequitur Clericus, quem memoravimus.

2. Eodem die, Vesperæ canuntur more solito. In nocte, dato signo, hora circiter undecima, Religiosi omnes superpelliceo induti ad Altare ordinatim se conferunt.

Ubi consuetudo viget adhuc, ob memoriam ritus quem in deliciis habuit S. P. N. Paulus a Cruce, cereis accensis, detegitur Imago Infantis Jesu. Peracta thurificatione, fit Processio sive per Recessum, sive per Ecclesiam. Celebrans superpelliceo et pluviali indutus, in medio Ministrorum, qui solo superpelliceo amicti sint, gestat sacram Imaginem. Processione expleta, ipsa S. Imago super altare reponitur, thurificatur, et cum ea impertitur benedictio; demum eadem osculanda porrigitur; et mox per Diaconum in supremo altaris loco collocatur: statimque, [redacted] (*Decr. n. 2515 ad 2*), Matutinum solemne inchoatur.

3. Primi nocturni Psalmi integre canuntur; secundi autem et tertii nocturni Psalmi communiter recitantur tono simplici: lectiones vero tum I. tum II. Nocturni canuntur ad normam Motu Proprio statutam a SS. D. N. Pio PP. X « De Musica sacra » (22 nov. 1903). In tertio nocturno canuntur tres Homiliæ; nempe 1.ª a Subdiacono, 2.ª a Diacono. 3.ª a Sacerdote celebrante: qui singuli, ante cantum, assumunt pluviale; eisdemque successive accedunt a lateribus, si adsint, bini Acolythi cereum portantes; ibique remanent donec expleatur cantus Hymni Te Deum. Dum canitur 3.ª Homilia, chorus stabit usque ad finem. Hymnus autem Te Deum canendus est secundum leges Motu Proprio sancitas.

4. Post cantum Hymni dicitur Oratio; atque inde Sacerdos et Ministri, pluviali dimisso, assumunt paramenta sacra, et Missam solemnem exordiuntur. Hac expleta, a choro recitantur Laudes; sicque sacer ritus absolvitur. Altera Missa solemnis celebratur mane ante Sextam, vel post Nonam.

§ 4. De agendis in Hebdomada Majori.

1. In Hebdomada Majori solemnes ritus celebrandi sunt, in unoquoque Recessu, juxta integrum morem Romanum: non enim si pauciores numero sint tum Sacerdotes, tum Clerici, licet nobis in ecclesiis nostris, non parochialibus, uti Memoriali Rituum Benedicti XIII, sine facultate peculiari S. Sedis (*Decr. n. 3390*); is enim solis ecclesiis parochialibus indultus est (*n. 2616 ad 1*). Sunt insuper hæc nobis observanda, cum sint nostræ Congregationis propria:

Feria IV. hora congrua post meridiem, per festivum campanarum sonitum Communitas in Ecclesia convocatur, et Religiosi Sodales, choro addicti, superpelliceo induti, Officium Tenebrarum in presbyterio absolvunt. Incipitur a recitatione Completorii: deinde canitur Matutinum eodem modo, quo dictum est in nocte Nativitatis Christi. Lamentationes autem et Lectiones II. et III. Nocturni sunt cantandæ a Religiosis Sodalibus secundum regulas Motu Proprio editas, et ratione habita eorumdem liturgici cantus peritiæ, incipiendo a junioribus, juxta præscriptum Cæremonialis (*Decr. S. R. C. n. 379*).

2. Ante cœnulam, per dimidiam horam, Orationi vacatur: et ante nocturnam quietem, aditur Oratorium, ubi indicitur examen conscientiæ, et postea canitur Hymnus Stabat Mater loco Rosarii. Post hymnum dicitur: ℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima. ℟. Ut digni, etc. Oratio Interveniat, etc. In fine Superior aspergit Religiosam Familiam, tacens conclusionem orationis.

3. Post concessas somno septem circiter horas, summo mane Feriæ V. Communitas se congregat in Oratorio, ubi fit voluntaria corporis castigatio. Superior incipit dicendo: Christus factus est pro nobis obediens etc. Et post dictum secreto Pater noster subjungit clara voce: Miserere, etc. quod ter repetit, et qualibet vice, in fine Psalmi, addit Orationem Respice, etc. Inde sermo habetur de Augustissimo Sacramento; et in fine ejusdem, quisquis e Religiosis Sodalibus veniam petit a Communitate: qua cæremonia expleta, per horæ spatium vacatur Orationi mentali.

4. Hora competenti, fiunt functiones solemnes in ecclesia, juxta Rubricas diei; et in Missa omnes tam Sacerdotes quam Clerici et Fratres Laici ad Communionem accedunt: hac enim die Communitas Religiosa præceptum implet Communionis Paschalis.

Peracta dein Processione ad sacellum, in quo SSm̃um Sacramentum pro crastino servandum est, alius Sacerdos ad hoc præsignatus, S. Pyxidem, quæ ordinarie asservatur in Tabernaculo ecclesiæ, alio transfert.

5. Statuta hora, quæ hac die et duabus sequentibus debet circa meridiem incidere, fit communis refectio; et datur inde locus consuetæ animi relaxationi per horæ dimidium, ac postea quieti, spatio horæ unius. Deinde Communitas per crepitaculum ad Oratorium vocatur, ubi, per horæ quadrantem, manet in oratione. Tempore autem assignato, iterum cantatur in Ecclesia Matutinum, ut heri.

6. Sero, pariter per crepitaculum Communitas congregatur in Ecclesia, et juxta ritum, in Missali Romano expressum, fit Mandatum, seu lotio pedum. Quod si Communitas suppeditare nequeat sufficientem numerum Religiosorum, ad hoc requisitum, per dimidiam horam oratio mentalis habetur ante cœnulam. Post recreationem, non protrahendam ultra tres horæ quadrantes, aditur sacellum vel Ecclesia, ibique canitur Hymnus Stabat Mater ut supra. In fine, Superior Communitati benedicit unico signo crucis, nihil dicens, nec adhibens aspergillum.

7. Pro nocturna quiete conceduntur octo circiter horæ cum dimidio, eo quod hac nocte spatium unius horæ ab unoquoque Sodali Religioso pro adoratione, ante SSm̃um Sacramentum, impenditur: quo tempore fit quoque voluntaria corporis verberatio. Hæc hora adorationis unicuique designatur per sortem, in fine recreationis serotinæ ejusdem diei. Mane Feriæ VI. Communitas tota simul surgit, ad signum crepitaculi, et Oratorium vel Chorum pergit, ubi statim per horæ spatium orationi vacat mentali.

8. Competenti hora, per crepitaculum indicitur in Ecclesia cæremonia propria hujus Feriæ quæ, si canatur Passio, protrahitur ad duas horas. Reliqua fiunt ut in Feria V. Sero autem, ante cœnulam, fit per horæ dimidium oratio mentalis.

9. Post septem circiter somni horas, mane Sabbati Communitas surgit, et pergens ad Oratorium voluntariæ verberationi indulget, ut dictum est in Feria V.; deinde fit oratio mentalis spatio horæ unius. Hora vero convenienti, sacri ritus in ecclesia instituuntur, pro quibus tres horæ computantur. Omnibus peractis, restituitur SSm̃um Sacramentum Tabernaculo ecclesiæ; et absolvitur refectio meridiana. Concesso aliquo temporis spatio recreationi et quieti, fit in Choro lectio spiritualis et adoratio consueta; ac postea dies habetur ut festivus. Sero autem horarium observantiæ resumitur per recitationem Completorii.

§ 5. De agendis in aliis Festis.

1. In Festo Pentecostes nil speciale habemus, nisi quod in nostra ecclesia canitur hora Tertiæ, immediate ante Missam solemnem. Sacerdos et Ministri, qui a lateribus assistunt, superpelliceo induuntur: et cum idem Sacerdos præcinit hymnum Veni Creator omnes, et chorus quoque, genua flectunt usque ad finem primæ strophes. Psalmi cantantur solemniter: et post ℣. Fidelium animæ, etc. omittitur Antiphona; statimque Celebrans et Ministri assumunt paramenta sacra; ac incipit Missa.

2. In Commemoratione solemni SS. Corporis Christi, consecratur in ipsa Missa cantata altera grandis Hostia, cum qua, aut immediate post Missam, aut vespere post Completorium, fit Processio intra Ecclesiam, vel si possibile sit, intra septa Recessus. Præter Vesperas, de more canitur hodie Completorium solemni ritu, ante SSmum Sacramentum expositum, cum quo impertitur benedictio. Hæc omnia iterari possunt in Dominica infra octavam, et die octavæ.

3. In Festo Purificationis B. M. V., in Feria quarta Cinerum, et in Dominica Palmarum fit per Sacerdotem celebrantem (ut vidimus supra, pag. 8) solemnis benedictio candelarum, cinerum et palmarum; atque inde earundem distributio Communitati Religiosæ: cineres et palmæ distribuuntur etiam populo. In die autem Purificationis ac in Dominica Palmarum, fit præterea Processio intra Ecclesiam, juxta Ritum romanum.

4. Die 3 Februarii, post primam Missam, benedicuntur vel oleum vel candelæ cum Reliquia S. Blasii Martyris, quem fideles invocant contra malum gutturis. Peracta benedictione olei, in cornu Epistolæ, ab ipso Sacerdote celebrante, ab eodem inungitur guttur cujusvis Religiosi et Sæcularis, si adsit, mediante extremitate parvi cerei, dicendo: Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen. (*Decr. 3196*). Quod si candelarum benedictio præferatur, servetur Ritus romanus, quem una cum Ritu benedictionis olei, dabimus suo loco. Ubi usus ignoratur a populo, cæremonia fit privatim.

5. In Festo Visitationis B. M. V. post Vesperas, nempe ultimo quadrante orationis vespertinæ, benedicitur privatim aqua juxta morem a N. S. Patre inductum. Cæremonia sic absolvitur: canuntur primo in tono simplici Litaniæ Lauretanæ; deinde benedicitur Communitati cum Reliquia; demum, in cornu Epistolæ, fit aqua benedicta,

ipsam quoque signando cum Reliquia. Finita Oratione, aquam, in apposito loco, Religiosi devote sumunt.

6. In prima Dominica Octobris, in quam incidit Festum SS. Rosarii, fit Processio privata a tota Communitate. Rector domus assumit superpelliceum, et sic tres Acolythi qui præcedere debent, et quorum duo gestant candelabra, tertius sacrum Vexillum, in quo sit depicta Imago Beatæ Mariæ Virginis. Hæc Processio instituitur statim post recitationem Vesperarum, in ipso Choro; progreditur intra Recessum, et absolvitur ubi exordium sumpsit, aut in Ecclesia vel alio Oratorio. Interim autem recitantur primæ decem decades Coronæ B. M. V.

7. Extat denique et consuetudo in Ecclesiis nostris, sive in Sabbatis sive in Dominicis intra annum, nec non in aliis quibusdam Festis, canendi Lauretanas Litanias, et Antiphonas de tempore. Nunc autem ex dispositione Rm̃i P. Præpositi Generalis, in Dominicis et Festis de præcepto, prævia Ordinarii licentia, benedictio etiam populo impertiatur cum SSm̃o Sacramento in Ostensorio vel in pyxide. Advertendum est tamen, quod exceptis solemnitatibus majoribus, in quibus permittitur aliqua distinctio in apparatu et cantu, insuper et brevis sermo publicus, in aliis adhiberi non debet nisi cantus simplicior, servatis regulis liturgicis; nec protrahenda est cæremonia ultra dimidium horæ.

§ 6. De Suffragiis faciendis pro Defunctis.

1. Die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum (2 Novembris) « omissis Officio et Missa diei currentis, fit tantum Officium cum Missa pro Defunctis, prout in Appendice Novi Psalterii præscribitur ». (*Tit. XIII Rubricarum ad normam Bullæ* « Divino afflatu »). Matutinum ergo ac Laudes novi Officii pro Defunctis recitantur noctu hora ac tono consuetis; et fit postea voluntaria corporis castigatio, ex vetusto more, licet non præscripta. Mane autem, absoluta Tertia, canitur Missa solemnis, cui omnes assistunt: et Clerici aeque ac Fratres Laici ad Communionem accedunt. Denique Sodales omnes ad exequias conveniunt circa tumulum.

2. Sicubi ob populi frequentiam ac regionis mores, opportunum videatur, poterit etiam, summo mane, ante Missam, cani vetus, seu commune Officium Defunctorum, aut integrum, aut ex parte; attento tamen Monito, quod legitur in fine novi Psalterii.

3. In morte cujuslibet Religiosi, ex Regularum præscripto (*cap. XXXVIII*) recitatur in choro a Sodalibus ejusdem Provinciæ integrum Officium commune Defunctorum: quod ordinarie fit tempore orationis vespertinæ. Præterea ab unoquoque ipsiusmet Provinciæ Sacerdote tres Missæ celebrantur; et Clerici ac Fratres Laici quinquies SS. Eucharistia reficiuntur, integrumque Rosarium persolvunt; atque semel universi Religiosi verberibus se affligunt, pro illius animæ expiatione. Insuper consuetudo invaluit ut ter in ejusdem suffragium a Religiosa Familia applicetur ea Rosarii pars, quæ dicitur ante nocturnam quietem. Missa item pro eo canitur, tempore orationis matutinæ, cui assistunt omnes, absque superpelliceo. In ipso vero Recessu, ubi Religiosus moritur, Missa *de Requiem* canitur solemniter.

Pariter hæc Missa solemniter cani debet, in omnibus Ecclesiis nostris, post acceptum nuntium obitus sive Praepositi Generalis, aut alicuius e Superioribus Generalibus, sive ejus, qui Praepositi Gen. munere olim functus est; quibus integra debentur suffragia: in Ecclesiis autem cuiusvis Provinciæ, in obitu Præpositi Provincialis aut alterutrius Consultorum. (Ex Recenti dispositione Rm̃i P. Præpositi Generalis).

Pro Religioso defuncto extra Provinciam, in unoquoque Recessu, applicatur Missa lecta: a Clericis et Fratribus Laicis fit sacra Communio: et a tota Communitate semel dicitur in eorum suffragium tertia Rosarii pars; et fit voluntaria verberatio.

4. Pro Monialibus a Passione Jesu, in nostris Recessibus illius Provinciæ, in cuius ambitu Monasterium est situm, in quo Monialis defuncta est, pariter applicatur Missa lecta: a Clericis et Fratribus Laicis fit sacra Communio: et a tota Communitate semel dicitur in eorum suffragium tertia Rosarii pars; et insuper additur semel voluntaria verberatio. In reliquis autem nostris Recessibus hæc eadem peraguntur, sed Missa lecta non applicatur.

Pro Sororibus a Passione, in Anglia, et pro Filiabus Passionis, in Mexicana regione constitutis, semel in omnibus Recessibus cujuscumque Provinciæ Congregationis Nostræ, tertia Rosarii pars applicatur, ac voluntariæ verberationi datur opera; itemque semel Clerici ac Fratres Laici ad S. Synaxim accedunt.

Demum pro Sororibus Passionis a S. Paulo a Cruce, quæ in Hetruria, Italiæ regione, sunt ortæ, in Recessibus ejus nostræ Provinciæ, in cujus finibus Soror defuncta est, Religiosi Sodales per triduum tertiam Rosarii partem sero applicabunt; et Clerici ac Fratres Laici ter in ejusdem suffragium S. Communione reficientur. Sodales autem

aliarum Provinciarum semel, in ipsius animæ expiationem, tertiam Rosarii partem recitabunt; ac semel pariter Clerici et Fratres Laici ad Sacram Communionem accedent.

5. Insuper in quolibet Recessu, juxta præscriptum Regulæ, applicatur in unoquoque mense una Missa in suffragium Benefactorum Congregationis nostræ; et una pariter in suffragium nostrorum Religiosorum: ac pro utrisque separatim recitatur etiam in Choro Nocturnum cum Laudibus Officii communis Defunctorum.

6. Præter hæc, sunt a nobis celebranda tria anniversaria: nempe pro animabus Fratrum defunctorum nostræ Congregationis; pro animabus nostrorum Benefactorum; ac pro Parentibus defunctis Religiosorum. In his anniversariis canitur Missa, cum exequiis in fine; et ex Decreto Generali S. R. C. 2 dec. 1891 (*n. 3753, 1*) hæc Missa cani potest etiam in duplicibus minoribus: at de speciali gratia (cum anniversaria a die obitus non sint), et non in Dominica. Iisdem diebus pro singulis anniversariis recitatur in choro a Communitate Nocturnum cum Laudibus Officii communis Defunctorum. Supradicta Missa ordinarie canitur post Tertiam, recitatio vero Nocturni absolvitur ante Sextam et Nonam.

PARS SECUNDA

PRECES RECITANDÆ IN SABBATIS VEL DOMINICIS

IN HONOREM B. M. V.

NEC NON SUPPLICATIONES NOVENDIALES ET TRIDUANÆ

ET ACTIO GRATIARUM

I. Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg.

Antiph. Sub tuum præsídium confúgimus, Sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison.
Christe, áudi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríssima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater boni consílii, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.
Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.

Vas insígne devotiónis, ora.
Rosa mýstica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Jánua cœli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Consolátrix afflictórum, ora.
Auxílium Christianórum, ora.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe originháli concépta, ora.
Regína Sacratíssimi Rosarii, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. (*)
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

(See the rubric at bottom of page 19).

(*) Allelúja non est addendum, Tempore Paschali ad versiculum Ora pro nobis, etc. in fine Litaniarum Lauretanarum, in exercitiis devotionis extra officium canonicum, etsi habeantur coram SSño Sacramento (*Decr. S. R. C. n. 3764, Dub. 18*).

II. Orationes diversæ
quæ pro opportunitate imperantur.

In his sequimur leges, quas De Collectis in Missis tradit Tit. XI Rubricar. ad normam Bullæ « Divino afflatu »; ut nempe deinceps prohibeantur (nisi sint pro re gravi præscriptæ) in Duplicibus I. et II. classis, in Dominicis majoribus et infra octavas privilegiatas.

1. Pro quacumque necessitate.

Oratio.

Deus, refúgium nostrum, et virtus: adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis, et præsta; ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur.

2. Pro Papa.

Oratio.

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N. quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quæsumus verbo et exémplo, quibus præest, profícere: ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam.

3. Pro Congregatione et Familia.

Oratio.

Defénde, quæsumus Dómine, béata María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte familiam (vel civitátem): et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Hæ tres Orationes, etsi non imperatæ, addi tamen semper consueverunt sub unica conclusione, diebus non prohibitis.

4. Contra persecutores Ecclesiæ.

Oratio.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Christum.

5. Pro quacumque tribulatione.

Oratio.

Ne despícias, omnípotens Deus, pópulum tuum in afflictióne clamántem: sed propter glóriam nóminis tui, tribulátis succúrre placátus. Per Christum.

6. Tempore belli.

Oratio.

Deus, qui cónteris bella, et impugnatóres in te sperántium poténtia tuæ defensiónis expúgnas: auxiliáre fámulis tuis, implorántibus misericórdiam tuam; ut inimicórum suórum feritáte depréssa, incessábili te gratiárum actióne laudémus. Per Christum.

7. Tempore famis.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, piæ supplicatiónis effé ctum, et famem propitiátus avérte: ut mortálium corda cognóscant, et te indignánte tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre. Per Christum.

8. Tempore terræmotus.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui réspicis terram, et facis eam trémere: parce metuéntibus, propitiáre supplícibus; ut cujus iram terræ fundaménta concutiéntem expávimus, cleméntiam contritiónes ejus sanántem júgiter sentiámus. Per Christum.

9. Pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiæ.

Oratio.

Deus, qui non mortem, sed pœniténtiam desíderas peccatórum: pópulum tuum ad te reverténtem propítius réspice: ut, dum tibi devótus exsístit, iracúndiæ tuæ flagélla ab eo cleménter amóveas. Per Christum.

10. Pro peste animalium.

Oratio.

Deus, qui labóribus hóminum, étiam de mutis animálibus solátia subrogásti: súpplices te rogámus; ut, sine quibus non álitur húmana condítio, nostris fácias úsibus non períre. Per Christum.

11. Pro infirmo.

Oratio.

Omnípotens, sempitérne Deus, salus ætérna credéntium: exáudi nos pro fámulo tuo infírmo, pro quo (vel pro fámula tua infírma, pro qua) misericórdiæ tuæ implorámus auxílium, ut réddita sibi sanitáte, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferat actiónes. Per Christum.

12. Ad petendam pluviam.

Oratio.

Deus, in quo vívimus, movémur, et sumus: plúviam nobis tríbue congruéntem; ut præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Per Christum.

13. Ad postulandam serenitatem.

Oratio.

Ad te nos, Dómine, clamántes exáudi: et äëris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; ut qui juste pro

peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte cleméntiam sentiámus. Per Christum.

14. Ad repellendas tempestates.

Oratio.

A domo tua, quæsumus Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur: et aëreárum discédat malígnitas tempestátum. Per Christum.

15. Pro petitione lacrimarum.

Oratio.

Omnípotens et mitíssime Deus, qui sitiénti pópulo fontem vivéntis aquæ de petra produxísti : educ de cordis nostri durítia lácrimas compunctiónis ; ut peccáta nostra plángere valeámus, remissionémque eórum, te miseránte, mereámur accípere. Per Christum.

16. Pro remissione peccatorum.

Oratio.

Deus, qui nullum réspuis, sed quantúmvis peccántibus, per pœniténtiam pia miseratióne placáris ; réspice propítius ad preces humilitátis nostræ, et illúmina corda nostra; ut tua valeámus implére præcepta. Per Christum.

III. Antiphonæ de tempore

quæ canuntur, ubi viget consuetudo, immediate post Litanias Lauretanas, cum Oratióne B. M. V. congruente (*Decr. S. R. C. 3530 ad 1*)

A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus usque ad Purificationem inclusive.

ANTIPHONA.

Alma Redemptóris Mater, quæ pérvia cœli
Porta manes, et stella maris, succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti,
Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem,
Virgo prius, ac postérius, Gabriélis ab ore,
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ.
℟. Et concépit de Spíritu sancto.

Orémus.

Grátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus, et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eumdem Christum.

Aliæ tres Orationes ut supra, pag. 19.

A I. Vesperis Nativitatis, et deinceps.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansísti.
℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ, Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per

quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

Aliæ tres primæ Orationes ad diversa, ut supra pag. 19.

Post Purificationem, id est a fine Completorii illius diei inclusive, usque ad Feriam V. in Cœna Domini exclusive.

ANTIPHONA.

Ave, Regína cœlórum,
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta.

Gáude, Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa,
Vale, o valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Dignáre me, laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus.

Concéde, misericors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eumdem Christum.

Aliæ tres consuetæ Orationes, pag. 19.

A Completorio Sabbati Sancti usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive

ANTIPHONA.

Regína cœli, lætáre, allelúja,
Quia quem meruísti portáre, allelúja,
Resurréxit, sicut dixit, allelúja.
Ora pro nobis Deum, allelúja.

℣. Gáude, et lætáre, Virgo María, allelúja.
℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúja.

Orémus.

Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus est: præsta,

quæsumus; ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpetuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúmdem Christum.

Aliæ tres consuetæ Orationes pag. 19.

A I. Vesperis festi SS. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum.

ANTIPHONA.

Salve, Regína, Mater misericórdiæ, vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules filii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes, et flentes in hac lacrymárum valle. Eja ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Mariæ corpus, et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spiritu sancto cooperánte, præparásti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne, ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum.

Aliæ tres consuetæ Orationes, pag. 19.

IV. Benedictio cum Sanctissimo Sacramento.

Dum Sacerdos exponit Sanctissimum Sacramentum, cantantur sequentes Strophes Hymni ad Laudes in Commemoratione solemni SS. Corporis D. N. J. C.

O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória;
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

Deinde recitantur aliæ preces, juxta consuetudinem nostram vel mores regionum: ac ultimo canitur (ad normam Motu Proprio a Pio PP. X præscriptam) hymnus sequens:

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis.
℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Tempore Paschali et infra Octavam Commem. solemnis SS. Corporis D. N. J. C. additur Allelúja.

Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus; ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.
℟. Amen.

Immediate post hanc Orationem, aut post Benedictionem cum SSmo Sacramento, laudes Deus sit benedíctus lingua vulgari coram

SSmo Sacramento exposito recitari possunt: (*Decr. S. R. C. n. 3237 ad 1*). Cum autem SSmum Sacramentum in Tabernaculo reconditur, canitur

PSALMUS 116.

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri et Fílio, * et Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

"Actiones nostras etc. page 28.

"Actiones nostas etc", p. 28.

V. Supplicatio novendialis ante Nativitatem D. N. J. C.

Exponitur SSmum Sacramentum, cum cantu O Salutáris Hóstia, etc. Deinde:

Actiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio, et operátio, a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Mox a Sacerdote clara voce et lingua vernacula recitantur aliquæ considerationes et deprecationes analogæ, post quas ~~cantantur~~ dicantur Litaniae Lauretanae B.V.M. page 17.

LITANIÆ SS. NOMINIS JESU.

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison.
Jesu, áudi nos.
Jesu, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Jesu, Fíli Dei vivi, mis.
Jesu, splendor Patris, mis.
Jesu, candor lucis ætérnæ, mis.
Jesu, rex glóriæ, mis.
Jesu, sol justítiæ, mis.
Jesu, Fíli Maríæ Vírginis, mis.
Jesu, amábilis, mis.
Jesu, admirábilis, mis.
Jesu, Deus fortis, mis.
Jesu, pater futúri sæculi, mis.
Jesu, magni consílii ángele, mis.
Jesu, potentíssime, mis.
Jesu, patientíssime, mis.
Jesu, obedientíssime, mis.
Jesu, mitis et húmilis corde, mis.
Jesu, amátor castitátis, mis.
Jesu, amátor noster, mis.
Jesu, Deus pacis, mis.
Jesu, auctor vitæ, mis.
Jesu, exémplar virtútum, mis.
Jesu, zelátor animárum, mis.
Jesu, Deus noster, mis.
Jesu, refúgium nostrum, mis.
Jesu, pater paúperum, mis.
Jesu, thesáure fidélium, mis.
Jesu, bone pastor, mis.
Jesu, lux vera, mis.
Jesu, sapiéntia ætérna, mis.
Jesu, bónitas infiníta, mis.
Jesu, via et vita nostra, mis.
Jesu, gáudium Angelórum, mis.

Jesu, rex Patriarchárum, mis.
Jesu, magíster Apostolórum, mis.
Jesu, doctor Evangelistárum, mis.
Jesu, fortitúdo Mártyrum, mis.
Jesu, lumen Confessórum, mis.
Jesu, púritas vírginum, mis.
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, miserére nobis.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.
Propítius esto, exáudi nos, Jesu.
Ab omni malo, líbera nos, Jesu.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera nos, Jesu.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per infántiam tuam, líbera.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera nos, Jesu.
Per labóres tuos, líbera.
Per agoníam et passiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per crucem et derelictiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per languóres tuos, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera nos, Jesu.
Per resurrectiónem tuam, líbera.
Per ascensiónem tuam, líbera.
Per gáudia tua, líbera.
Per glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, misérere nobis, Jesu.
Jesu, áudi nos.
Jesu, exáudi nos.

℣. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum.
℟. Aperiátur terra et gérminet Salvatórem.

Orémus.

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua expectatióne lætíficas ; præsta, ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Oratio B. M. V. Concéde, pag. 18. vel de tempore Grátiam tuam, pag. 23. Aliæ tres consuetæ Orationes, pag. 19.

Postremo canitur Tantum ergo, pag. 26, et impertitur Benedictio cum SSmo Sacramento, servatis aliis, ut n. IV, pag. 26.

VI. Supplicatio novendialis ad Spiritum Sanctum.

Expositio SSmi Sacramenti ut pag. 26.

Actiones nostras, pag. 28. Deinde recitantur a Sacerdote vernacula lingua considerationes vel preces pro opportunitate; postea canitur

HYMNUS.

Veni, Credátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti péctora.
Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et spiritális únctio.
Tu septifórmis múnere,
Dígitus patérnæ déxteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.
Accénde lumen sénsibus;
Infúnde amórem córdibus;
Infirma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus:
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium;
Teque utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito.
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur, allelúja.
℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúja.

Orémus.

Méntibus nostris, quæsumus Dómine, Spíritum sanctum benígnus infúnde: cujus et sapiéntia cónditi sumus, et providéntia gubernámur.

Oratio B. M. V. Concéde pag. 18, vel de tempore Deus, qui per resurrectiónem, pag. 24. Aliæ tres consuetæ Orationes pag. 19.

Deinde dicitur Tantum ergo, pag. 26, et impertitur Benedictio cum SSmo Sacramento.

VII. Supplicatio novendialis in honorem Assumptionis B. M. V.

Exponitur SSmum Sacramentum ut pag. 26.

Nam (ex *Decretis S. R. C. n. 3157 ad 8, et 3537 ad 1*), licet Sacerdoti publice recitare preces in lingua vernacula, v. g. Novendiales B. M. V. vel alicujus Sancti, coram SSmo Sacramento exposito: quod consonat praxi, quæ Romæ est in more.

Deinde dicitur **Actiónes nostras** pag. 28, ac recitantur a Sacerdote considerationes vel preces opportunæ. Postea cantantur Litaniæ Lauretanæ.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Deus, qui virginálem áulam beátæ Maríæ, in qua habitáres, elígere dignátus es: da, quæsumus; ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse festivitáti.

Aliæ tres Orationes, pag. 19.

Ultimo canitur **Tantum ergo**, pag. 26; et impertitur Benedictio cum SSmo Sacramento.

VIII. Supplicatio novendialis S. P. N. Paulo a Cruce.

Expositio SSmi Sacramenti, pag. 26.

Actiónes nostras, pag. 28. Deinde lingua vernacula recitantur a Sacerdote statutæ considerationes et preces. Postea dicitur sequens

CAPITULUM.

Fratres, mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

In valle quisquis áspera,
Curis gravátus íngemit,
Levans in altum lúmina
Páulum rogándo súpplicet.

Quid ille possit, grátiæ
Almo refértus múnere,
Gentes per omnes dídita
Porténta passim núnciant.

Páuli sonánte nómine,
Fráudes avérni cóncidunt;
Laxísque dæmon únguibus
Prædam fugiéndo déserit.

Ut invocátur, ílicet
Morbus recédit ártubus;
Imbres, procélla et flúmina
Jubéntis arma séntiunt.

Illi frequénter Angeli
Callem per arctum mílitant;
Ac melle sparsas cœlitum
Voces loquénti súggerunt.

O Patris, o tenérrimi
Ducis profúsa cháritas,
Infúnde lucem méntibus,
Accénde nos ad fórtia!

Per te nitéscat áuspicem
Candor, fidésque púlcrior;
Nec turpis error ítalos
Intráre fines áudeat.

Sit laus, potéstas, glória
Tibi supréma Trínitas,
Ætérna quæ fidíssimo.
Servo dedísti gáudia. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancte Páule.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Páulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde, ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

Oratio B. M. V. Concéde, pag. 18, vel de tempore Deus, qui per resurrectiónem, pag. 24.

Aliæ tres consuetæ orationes pag. 19.

Deinde canitur Tantum ergo, pag. 26, et impertitur Benedictio.

IX. Supplicatio in triduum honori S. P. N. Pauli a Cruce.

Expositio SSmi Sacramenti; et reliqua ut n. VIII., pag. 32.

X. Supplicatio novendialis ad cœlitem Sanctum Ecclesiæ titulum.

Omnia ad modum supplicationum, quæ supra exhibentur.

XI. Supplicatio in triduum ob cœleste patrocinium Capitulo Generali vel Provinciali implorandum.

Exposito de more SSmo Sacramento, ut pag. 26, canitur Hymnus Veni Creátor Spíritus, ut pag. 30.

Deinde septies recitatur Pater, Ave et Glória; et postea cantantur in tono Rogationum

LITANIÆ SANCTORUM.

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison.
Christe áudi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fíli Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro nobis.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.

Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joánnes et Paule, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes Sanctæ Vírgines et Viduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, parce nobis Dómine.
Propítius esto, exáudi nos Dómine.

Ab omni malo, líbera nos Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea et improvísa morte, líbera nos Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
A peste, fame et bello, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advéntum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera nos Dómine.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera nos Dómine.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera nos Dómine.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus Sancti Paráclìti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam ré-

gere et conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut domnum Apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut mentes nostra ad cœléstia desidéria érigas, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus audi nos.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus audi nos.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus audi nos.
Fílii Dei, te rogámus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Concéde, misericors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius: ut a quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Páulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde, ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

Deinde canitur Tantum ergo, pag. 26, et impertitur Benedictio.

XII. Supplicatio ad gratias rite agendas ultimo anni die.

Sacerdos, indutus pluviali, cum Ministris dalmatica amictis, accedit ad Altare, præcedente Communitate, atque hinc et inde assistentibus pluribus Acolythis cum cereis accensis. Deinde exponitur SSm̃um Sacramentum, ut pag 26: quod, si libeat, exponi etiam potest ante accessum Sacerdotis ad Altare. Mox cantatur

HYMNUS.

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli, et univérsæ Potestátes:

Tibi Chérubim et Séraphim, * incessábili voce proclámant:

Sanctus, * Sanctus, * Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus.

Te Prophetárum * laudábilis númerus.

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * imménsæ majestátis,

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum susceptúrus hóminem: * non horruísti Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo: * aperuísti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis: * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, * et bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre Dómine die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri Dómine: * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te Dómine sperávi: * non confúndar in ætérnum.

(*Ex Decr. S. R. C. n. 2956 ad 3*).

℣. Benedicámus Patrem et Fílium, cum sancto Spíritu.

℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli.

℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinítus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes: ut qui peténtibus postuláta concédis; eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum.

Deinde canitur Tantum ergo, pag. 26, et impertitur Benedictio.

PARS TERTIA

PRECES PERSOLVENDÆ IN ALIQUIBUS FESTIS INTRA ANNUM OCCURRENTIBUS

I. In festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi.

Exposito SSmo Sacramento, ut pag. 26, dicitur: Actiónes nostras, pag. 28.

Deinde cantantur Litaniæ Nominis Jesu, pag. 28.

Postea sequitur

CAPITULUM.

Multifáriam, multísque modis olim Deus lóquens Pátribus in Prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit et sæcula.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Jesu Redémptor ómnium,
Quem lucis ante oríginem
Parem Patérnæ glóriæ
Pater suprémus édidit:

Tu lumen, et splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces,
Tui per orbem sérvuli.

Meménto, rerum Cónditor,
Nostri quod olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.

Testátur hoc præsens dies,
Currens per anni círculum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus advéneris.

Hunc astra, tellus, æquora,
Hunc omne, quod cœlo subest,
Salútis Auctórem novæ
Novo salútat cántico.

Et nos, beáta quos sacri
Rigávit unda sánguinis,
Natális ob diem tui,
Hymni tribútum sólvimus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Notum fecit Dóminus, allelúja.
℟. Salutáre suum, allelúja.

Orémus.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eumdem Christum.

Postea canitur Tantum ergo pag. 26, et datur Benedictio.

Reposito autem SSmo Sacramento, exponi potest ac thurificari, ubi lubeat, Imago sculpta Infantis Jesu: et cum ea iterum benedici populo, cui mox eadem traditur osculanda. Si huic Imagini adiecta sit Reliquia Praesepis, dici potest: Per Nativitátem suam. líberet te Deus ab omni malo. Amen.

II. In Festo Circumcisionis D. N. Jesu Christi.

Omnia ut in festo Nativitatis pag. 41, his mutatis, quæ sequuntur:

CAPITULUM.

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, et sæculária desidéria, sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Deo grátias.

Hymnus Jesu Redémptor ómnium, pag. 41.

℣. Notum fecit Dóminus, allelúja.
℟. Salutáre suum, allelúja.

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ, Beatæ Mariæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctorem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Reposito SSmo Sacramento, exponitur ac thurificatur S. Imago Infantis Jesu, cum qua benedictio impertitur, et eadem traditur osculanda, ut supra.

III. In Epiphania Domini.

Omnia ut in festo Nativitatis, pag. 41, his mutatis quae exhibentur:

CAPITULUM.

Surge, illumináre, Jerúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Crudélis Heródes, Deum
Regem veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cœléstia.
Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes præviam:
Lumen requírunt lúmine:
Deum faténtur múnere.
Lavácra puri gúrgitis,
Cœléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.
Novum genus poténtiæ!
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque jussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.
Jesu, tibi sit glória,
Qui apparuísti géntibus,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent,
℟. Reges Arabum, et Saba dona addúcent.

Orémus.

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius; ut, qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eumdem Christum.

Reposito SSmo Sacramento, exponitur ac thurificatur S. Imago Infantis Jesu; cum ea benedictio impertitur, atque eadem traditur osculanda, uti dictum est pag. 42.

IV. In Festo Solemnis Commemorationis Passionis D. N. Jesu Christi.

Exponitur ac thurificatur Reliquia S. Crucis: deinde dicitur: Actiónes nostras, pag. 28; ac quinquies: Pater, Ave, et Glória. Postea canitur sequens

CAPITULUM.

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hàbitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Mœréntes óculi, spárgite lácrimas,
Et lúctu résonent íntima córdium:
Illátas réfero Númini ab ímpiis
Pœnas, et fera vúlnera.
Accíncta, heu! gládiis turba satéllitum
Arréptum Dóminum fústibus ímpetit,
Nunc cædit colàphis, nunc quatit hórridis
Divínum caput íctibus.
Haud finis scéleri: tráditur ímprobo
Christus carnífici: nec mora, bárbarus
In regem súperum non timet ímpio
Ausu vértere déxteram.
Audíte, o pópuli, Numen amábile,
Manánte ex húmeris úndique sánguine,
Lictóris rábidi sústinet ímpetum,
Et vocem premit ínnocens.

Quis non illácrimet? Jam nova cóndidit
Torménta indómitæ gentis iníquitas:
Infígit cérebro, proh dolor! éfferis
Sertum vépribus ásperum.
Heu crimen! tráhitur fúnibus ímprobis
Funésti Dóminus supplícii ad locum:
Illic oppétiit fúnere, spíritum
Patri restítuens suo.
Passo pro míseris tam fera vúlnera
In terris résonet débita glória:
Sacrúmque assídue nomen in æthera
Húmanum genus éfferat. Amen.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.
℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Salvátorem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concède propítius; ut sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eumdem Christum.

Deinde thurificatur Reliquia, et cum ea benedicitur populo, eidemque ipsa datur osculanda his verbis: Per Crucem et Passiónem suam, líberet te Deus, etc.

Paramenta ac ipsum velum humerale *(Baldeschi par. VI. c. 15. n. 4)* quibus utitur Sacerdos in benedictione cum Reliquia S. Crucis, debent esse rubri coloris (Decr. S. R. C. n. 3256).

V. In die Inventionis SS. Crucis D. N. Jesu Christi.

Exponit. ac thurif. Reliquia S. Crucis, pag. 45; ac dicitur: Actiónes nostras, pag. 28; deinde quinquies: Pater, Ave et Glória: postea sequens canitur

CAPITULUM.

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo; sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.
Quæ vulneráta lánceæ
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda, et sánguine.
Impléta sunt, quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnávit a ligno Deus.
Arbor decóra, et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sæculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.
O Crux, ave, spes única,
In hac triúmphi glória
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.
Te, fons salútis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde præmium. Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, allelúja.
℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit, allelúja.

Orémus.

Deus, qui in præclára salutíferæ Crucis inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti: concéde, ut vitális li-

gni prétio ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Qui vivis et regnas.

Reliqua ut pag. 46. Quod si hoc festum inciderit in Dominicam, vel alicubi quomodocumque sit de præcepto, loco Reliquiæ S. Crucis, exponitur SSm̃um Sacramentum; ac impertita cum eodem Benedictione, thurificatur Reliquia S. Crucis, et cum ea quoque benedicitur populo, cui demum ipsa traditur osculanda. Quod servandum est quoque in Festo Exaltationis S. Crucis, et in Festis B. M. V. et Sanctorum, quae per se de praecepto non sint, ut monebimus in loco.

VI. In Festo Exaltationis SS. Crucis Domini Nostri Jesu Christi.

Omnia ut in festo præcedenti: at post hymn. Vexílla dicitur tantum:

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo.
℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Orémus.

Deus, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus; ut, cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur. Per eumdem Christum.

VII. In Festo SS. Cordis Jesu.

Expositio SSmi Sacramenti pag. 26. Actiónes nostras, pag. 28. Deinde lingua vernacula recitatur a Sacerdote formula consecrationis Congregationis nostræ SS. Cordi Jesu: et postea dicitur ter Pater, Ave et Glória. Mox canuntur

LITANIÆ SS. CORDIS JESU.

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison.
Christe, áudi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Cor Jesu, Fili Patris ætérni, miserére nobis.
Cor Jesu, in sinu Vírginis Matris a Spíritu sancto formátum, miserére nobis.
Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unítum, miserére nobis.
Cor Jesu, Majestátis infinítæ, miserére nobis.
Cor Jesu, Templum Dei sanctum, miserére nobis.
Cor Jesu, Tabernáculum Altíssimi, miserére nobis.
Cor Jesu, domus Dei et porta cœli, miserére nobis.
Cor Jesu, fornax ardens caritátis, miserére nobis.
Cor Jesu, justítiæ et amóris receptáculum, miserére nobis.
Cor Jesu, bonitáte et amóre plenum, miserére nobis.
Cor Jesu, virtútum ómnium abýssus, miserére nobis.
Cor Jesu, omni láude digníssimum, miserére nobis.
Cor Jesu, rex et centrum ómnium córdium, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapientiæ et sciéntiæ, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, miserére nobis.
Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes accépimus, miserére.
Cor Jesu, desidérium cóllium æternórum, miserére nobis.
Cor Jesu, pátiens et multæ misericórdiæ, miserére nobis.
Cor Jesu, dives in omnes qui ínvocant te, miserére nobis.
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitátis, miserére nobis.
Cor Jesu, propitiátio pro peccátis nostris, miserére nobis.

Cor Jesu, saturátum oppróbriis, miserére nobis.
Cor Jesu, attrítum propter scélera nostra, miserére nobis.
Cor Jesu, usque ad mortem obédiens factum, miserére nobis.
Cor Jesu, láncea perforátum, miserére nobis.
Cor Jesu, fons totíus consolatiónis, miserére nobis.
Cor Jesu, vita et resurréctio nostra, miserére nobis.
Cor Jesu, pax et reconciliátio nostra, miserére nobis.
Cor Jesu, víctima peccatórum, miserére nobis.
Cor Jesu, salus in te sperántium, miserére nobis.
Cor Jesu, spes in te moriéntium, miserére nobis.
Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Jesu mitis et húmilis corde,
℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in láudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iisque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, in nómine ejúsdem Fílii tui Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat.

Deinde canitur Tantum ergo pag. 26, et impertitur Benedictio.

VIII. In Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Exponitur SSmum Sacramentum, ut pag. 26, deinde dicitur:

Antiph. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris; sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Cantantur Litaniæ Lauretanæ, pag. 17; ac postea

CAPITULUM.

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Ave maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.

℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Orémus.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : quæsumus ; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eumdem Christum.

Ultimo canitur Tantum ergo, pag. 26; et impertitur Benedictio cum SSmo Sacramento.

Postea, si lubet, exponere licet Reliquiam B. M. V. : cum qua, post thurificationem, populo iterum benedicitur ; ac demum eadem traditur singulis osculanda, his verbis : Per intercessiónem B. M. V. líberet, etc.

IX. **In Festo Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.**

Nisi hoc festum accidat in Dominica etc. ut notatur pag. 48, exponitur ac thurificatur Reliquia B. M. V. deinde dicitur

Antiph. Sub tuum præsídium, et cantantur Litaniæ Lauretanæ, pag. 17; ac postea

CAPITULUM.

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. ℟. Deo grátias.

Hymnus Ave, maris stella, pag. 51.

℣. Natívitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Orémus.

Fámulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre : ut, quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Christum.

Postea cum Reliquia benedicitur populo, eademque singulis datur osculanda, ut supra.

X. In Festo Præsentationis B. Mariæ Virginis.

Omnia ut in festo præcedenti; at post Hymn. Ave, maris stella, pag. 51, dicitur:

℣. Dignáre me, laudáre te, Virgo sacráta.

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus.

Deus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluísti: præsta, quæsumus; ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Christum.

XI. In Festo Annuntiationis B. M. V.

Omnia ut n. IX. pag. 52; sed, post Litanias Lauretanas, canitur

CAPITULUM.

Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum, et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Deo grátias.

Hymnus Ave, maris stella, pag. 51.

℣. Ave, María, grátia plena.

℟. Dóminus tecum.

Orémus.

Deus, qui de Beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eumdem Christum.

XII. Die II. Julii
In Festo Visitationis B. M. V.

Exponitur Reliquia B. M. V. et omnia peraguntur, ut traditur pag. 12, n. 5. Post Litanias pag. 17, dicitur:

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Orémus.

Fámulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Visitatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Mox, sumpta stola violacea, sequitur

Ordo ad faciendam aquam Benedictam.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde Sacerdos absolute incipit Exorcismum salis.

Exorcízo te creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium; et sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ et córporis; et effúgiat, atque discédat a loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabólicæ fráudis, omnísque spíritus immúndus, adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus.

Imménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre tua pietáte dignéris; ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; et quidquid ex eo tactum, vel respérsum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne spirituális nequítiæ. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ, et dicitur absolute:

Exorcízo te creatúra aquæ, in nómine Dei Patris ✠ omnipoténtis, in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi: qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus.

Deus qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti: adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde; ut creatúra tua mystériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos divínæ grátiæ sumat effectum, ut quidquid in dómibus, vel in locis fidélium, hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa: non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens: discédant omnes insídiæ laténtis inimíci; et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet,

aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat: ut salúbritas per invocatiónem sancti tui nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum. ℟. Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus invíctæ virtútis áuctor, et insuperábilis impérii Rex, ac semper magníficus triumphátor: qui advérsæ dominatiónis vires réprimis: qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas: qui hostíles nequítias poténter expúgnas: te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur, ac pétimus: ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter aspícias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sanctífices; ut ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatiónem sancti nóminis tui, omnis infestátio immúndi spíritus abigátur: terrórque venenósi serpéntis procul pellátur: et præséntia Sancti Spíritus nobis misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adésse dignétur. Per Dóminum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicit aquam cum Reliquia B. M. V. et mox, deposita Reliquia, addit:

Béne ✠ dic, Dómine, hanc áquam, ut sit remédium salutáre géneri humáno, et per intercessiónem Beátæ Maríæ Vírginis ac beáti Páuli Patris Nostri, præsta; ut quicúmque ex ea súmpserint, córporis sanitátem et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum. ℟. Amen.

Tandem addi potest Oratio S. Pauli a Cruce pag. 33.

XIII. In Festo septem Dolorum B. M. V.

(Mense Septembri).

Omnia ut supra page 52.

~~Exponitur SSmum Sacramentum, ut pag. 26~~; deinde dicitur Antiph. Sub tuum præsídium, et cantantur Litaniæ Lauretanæ pag. 17, ac postea

CAPITULUM.

Cui comparábo te? vel cui assimilábo te, filia Jerúsalem? cui exæquábo te, et consolábor te, Virgo filia Sion? magna est velut mare contrítio tua.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

O quot undis lacrimárum,
Quo dolóre vólvitur,
Luctuósa de cruénto
Dum, revúlsum stípite,
Cernit ulnis incubántem
Virgo Mater Fílium!
Os suáve, mite pectus,
Et latus dulcíssimum,
Dexterámque vulnerátam,
Et sinístram sáuciam,
Et rubras cruóre plantas
Ægra tingit lácrimis.
Centiésque, milliésque
Stringit arctis néxibus
Pectus illud et lacértos,
Illa figit vúlnera:
Sicque tota colliquéscit
In dolóris ósculis.
Eja Mater, obsecrámus
Per tuas has lácrimas,
Filiíque triste funus,
Vulnerúmque púrpuram,
Hunc tui cordis dolórem
Conde nostris córdibus.
Esto Patri, Filióque,
Et coævo Flámini,
Esto summæ Trinitáti
Sempitérna glória,
Et perénnis laus, honórque
Hoc et omni sæculo. Amen.

℣. Regína Mártyrum, ora pro nobis.

℟. Quæ juxta crucem Jesu constitísti.

Orémus.

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis, et Ma-

tris Maríæ dolóris gládius pertransívit : concéde propítius ; ut, qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuæ efféctum felícem consequámur. Qui vivis et regnas.

Post Benedictionem, reposito SSmo Sacramento, exponi potest Reliquia B. M. V., cum qua iterum benedicitur populo, eidemque traditur osculanda.

XIV. In Festo Assumptionis B. M. Virginis.

Omnia ut supra, pag. 57, usque ad

CAPITULUM.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus Ave maris stella, pag. 51.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.

℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Orémus.

Famulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit et regnat.

Post repositionem SSmi Sacramenti, exponi potest Reliquia, etc. ut saepe notatum est.

XV. In Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Quæ nunc transfertur, tamquam in sedem propriam, in Dominicam, quae festum SS. Petri et Pauli App. antecedat. (Ex Motu Proprio 2 jul. 1911). Omnia ut supra page 52. ~~Exponitur SSmum Sacramentum, ut pag. 26~~; dicitur Actiónes nostras, pag. 28, ac ter Pater, Ave et Glória.

CAPITULUM.

Audíte, ínsulæ, et atténdite pópuli de longe: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Ut queant laxis resonáre fibris
Mira gestórum fámuli tuórum;
Solve pollúti lábii reátum,
Sancte Joánnes.

Núntius celso véniens Olýmpo,
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen, et vitæ sériem geréndæ,
Ordine promit.

Ille promíssi dúbius supérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ;
Sed reformásti génitus perémptæ
Organa vocis.

Ventris obstrúso récubans cubíli,
Sénseras Regem thálamo manéntem:
Hinc parens, nati méritis, utérque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni.
Témporis ævo. Amen.

℣. Iste puer magnus coram Dómino.
℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Orémus.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Christum.

Post Benedictionem cum SSmo Sacramento, potest iterum populo benedici etc. cum Reliquia S. Præcursoris.

XVI. In Commemoratione Solemni S. Joseph Sponsi Beatæ Mariæ Virginis.

Omnia ut supra page 51.

Nisi hoc festum accidat in Dominica etc., ut notatur pag. 48, exponitur ac thurificatur Reliquia S. Joseph; et mox dicitur: Actiónes nostras, pag. 28. Deinde lingua vernacula recitatur oratio propria ad B. Joseph, ac ter Pater, Ave et Glória: mox canuntur

LITANIÆ S. JOSEPH.

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison.
Christe, áudi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fíli Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miser. nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Proles David ínclyta, ora.
Lumen Patriarchárum, ora.
Dei Genitrícis Sponse, ora.
Custos pudícæ Vírginis, ora.
Fíli Dei nutrítie, ora.
Christi defénsor sédule, ora.
Almæ Famíliæ præses, ora.
Joseph justíssime, ora.
Joseph castíssime, ora.
Joseph prudentíssime, ora.
Joseph fortíssime, ora.
Joseph obedientíssime, ora.
Joseph fidelíssime, ora.
Spéculum patiéntiæ, ora.
Amátor paupertátis, ora.
Exémplar opíficum, ora.
Domésticæ vitæ decus, ora.
Custos vírginum, ora.
Familiárum cólumen, ora.
Solátium miserórum, ora.
Spes ægrotántium, ora.
Patróne moriéntium, ora.
Terror dæmonum, ora.
Protéctor sanctæ Ecclésiæ, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

CAPITULUM.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui glorificábitur.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Te, Joseph, célebrent ágmina cœlitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.
Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dubio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.
Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.
Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus.
℟. Et justítia ejus mánet in sæculum sæculi.

Orémus.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur; ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis.

Postea benedicitur populo cum Reliquia: quæ etiam datur singulis osculanda.

XVII. In Solemnitate S. Joseph Sponsi B. M. V. Ecclesiæ Universalis Patroni.

Omnia ut supra page 52,

~~Exponitur SSm̄um Sacramentum, ut pag. 26,~~ deinde, post Actiónes nostras, recitantur et canuntur reliqua, quæ in Comm. solemni exhibita sunt, pag. 61 usque ad

CAPITULUM.

Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus : donec veníret desidérium cóllium æternórum ; fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

℟. Deo grátias.

Hymnus Te Joseph célebrent, pag. 61.

℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, allelúja.

℟. Et fructus ejus dulcis gútturi meo, allelúja.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia Beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es : præsta, quæsumus ; ut quem Protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Qui vivis.

Post repositum SSm̄um Sacramentum, exponi potest Reliquia S. Joseph, et cum ea benedici populo, ac dari osculanda.

XVIII. In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Exponitur SSmum Sacramentum, ut pag. 26. Mox dicitur Actiónes nostras, pag. 28; ac ter recitatur Pater, Ave et Glória.

CAPITULUM.

Misit Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclèsia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Vídens áutem quia pláceret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. ℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Decóra lux æternitátis, áuream
Diem beátis irrigávit ígnibus,
Apostolórum, quæ corónat Príncipes,
Reísque in astra líberam pandit viam.
Mundi Magíster, atque cœli Jánitor,
Romæ paréntes, arbitríque géntium,
Per ensis ille, hic per crucis victor necem
Vitæ senátum laureáti póssident.
O Roma felix, quæ duórum Príncipum
Es consecráta glorióso sánguine!
Horum cruóre purpuráta céteras
Excéllis orbis una pulcritúdines.
Sit Trínitati sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa sæculórum sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri, et Páuli martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Christum.

Reliqua ut in rubrica festi præcedentis pag. 63.

XIX. Die III. Februarii. S. Blasio sacra.

Benedictio Olei.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Exorcismus.

Exorcízo te creatúra ólei per Deum Patrem ✠ omnipoténtem, qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne phantásma sátanæ eradicáre, et effugáre ab hac creatúra ólei, ut fiat ómnibus, qui eo usúri sunt, salus mentis et córporis, in nómine Dei Patris ✠ omnipoténtis, et Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et Spíritus ✠ Sancti Paráclitii, et in caritáte ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Deus omnípotens, cui astat exércitus Angelórum cum tremóre, quorum servítium spirituále cognóscitur, dignáre respícere, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre hanc creatúram ólei, quam ex olivárum succo eduxísti, et ex eo infírmos inúngi mandásti, quátenus sanitáte percépta,

tibi Deo vivo et vero grátias ágerent: præsta, quæsumus; ut hi, qui hoc óleo, quod in tuo nómine bene ✠ dícimus, usi fúerint, ab omni languóre, omníque infirmitáte, atque cunctis insídiis inimíci liberéntur, et cunctæ adversitátes separéntur a plásmate tuo, quod pretióso sánguine Fílii tui redemísti, ut nunquam lædátur a morsu antíqui serpéntis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Deus, qui beátum Blásium Mártyrem tuum atque Pontíficem in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde propítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Aspergat oleum aqua benedicta: ac postea inungat guttur cuiusvis Religiosi etc. ut pag. 12. n. 4.

Benedictio candelarum.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens et mitíssime Deus, qui ómnium mundi rerum diversitátes solo Verbo creásti, et ad hóminum reformatiónem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnári voluísti: qui magnus es, et imménsus, terríbilis atque laudábilis, ac fáciens mirabília: pro cujus fídei confessióne gloriósus Martyr et Póntifex Blásius, diversórum tormentórum génera non pavéscens, martyrii palmam felíciter est adéptus: quique eídem, inter céteras grátias, hanc prærogatívam contulísti, ut quoscúmque gútturis morbos tua virtúte curáret; majestátem tuam supplíciter exorámus, ut non inspéctu reátus nostri, sed ejus placátus méritis et précibus, hanc ceræ creatúram bene ✠ dícere, ac sanctificáre tua venerábili pietáte dignéris, tuam grátiam infundéndo; ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fúerint, a quocúmque gútturis morbo ipsíus passiónis méritis liberéntur, et in Ecclésia sancta tua sani et hílares tibi gratiárum réferant actiónes, laudéntque nomen tuum gloriósum, quod est benedíctum in sæcula sæculórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Deinde Sacerdos, terminata Missa, depositis casula et manipulo, accensis duobus cereis, ac in modum crucis aptatis, apponens illos sub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipsis ante Altare genuflectentibus, dicat:

Per intercessiónem sancti Blásii, Epíscopi et Mártyris, líberet te Deus a malo gútturis, et a quólibet álio malo. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

XX. Die VII. Martii.
D. Thomæ Aquinati sacra.

Sacerdos exponit Reliquiam D. Thomæ Aq. (nisi supplicationes post Missam fiant); et « ~~stans ter Crucem incensat (ut monet de Herdt)~~ ~~facta prius ac postea profunda inclinatione, Ministris vero aut Clericis genuflectentibus~~; dein duplici ductu incensat Reliquiam cum inclinatione media » : mox legit, post Actiónes nostras pag. 28, lingua vernacula preces analogas, ac ter recitat Pater, Ave et Glória. Postea

CAPITULUM.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post áurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Iste Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie láudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit suprémos
Láudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit áuræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra, quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit láudem, celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio coruscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui, mira eruditióne claríficas, et sancta operatióne fœcúndas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére.

Aliæ tres consuetæ Orationes pag. 19; post quas, denuo thurificatur sola Reliquia D. Thomæ, ac cum ipsa datur populo benedictio: eademque traditur singulis osculanda.

See Appendix.

XXI. Die XXXI. Maji. Supplicationes in honorem S. B. Gabrielis a Maria Perdolente e Nostra Congr. Conf.

Omnia ut in Festo D. Thomæ pag. 68, excepta oratione:

Orémus.

Deus, qui Beátum Gabriélem Confessórem tuum dulcíssimæ Matris tuæ dolóres assídue recólere docuísti, ac per illam sanctitátis et miraculórum glória sublimásti: da nobis ejus intercessióne et exémplo, ita ejúsdem Genitrícis tuæ consociári flétibus; ut matérna ipsíus protectióne salvémur.

Aliæ tres consuetæ Orationes, pag. 19.

XXII. Die XXI. Junii. Supplicationes ad S. Aloisium Gonzagam.

Omnia ut in festo D. Thomæ, pag. 68, excepta oratione:

Orémus.

Cœléstium donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloísio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti: ejus méritis, et précibus concéde; ut, innocéntem non sequúti, pœniténtem imitémur.

Aliæ tres consuetæ Orationes, pag. 19.

PARS QUARTA

DE RITIBUS QUIBUSDAM PARTICULARIBUS

I. De Canonica Visitatione.

Sacerdos visitationem inchoaturus, superpelliceo, stola et pluviali albi coloris indutus, una cum Ministris, procedit ad Altare, et exposita de more, in ostiolo Tabernaculi, sacra Pyxide, recitat ibi alternatim cum Religiosa Communitate ter Pater, Ave et Glória. Postea, cantatur Tantum ergo cum versiculis et oratione SSmi Sacramenti; et cum sacra Pyxide benedictio impertitur.

Immediate post, Visitator observat ipsam sacram Pyxidem, et Tabernaculum in omnibus suis partibus: mox, clauso Tabernaculo, deponit pluviale album, et accipiens stolam et pluviale nigri coloris, procedit ad absolutionem Tumuli, ut fit in Exequiis Defunctorum.

Deinde cantatur:

℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die illa treménda: Quando cœli movéndi sunt, et terra: Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Trémens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira.

℟. Quando cœli movéndi sunt, et terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna et amára valde.

℟. Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die illa treménda: Quando cœli movendi sunt, et terra: Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

Kyrie eléison, Christe eléison, Kyrie eléison.

Mox Sacerdos alta voce dicit Pater noster, et secreto dicitur ab omnibus. Post aspersionem et incensationem Tumuli, prosequitur:

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, fámulis et famulábus tuis, et ómnibus hic et ubíque quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum, ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.
℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Hinc Cantores:

℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

Et Sacerdos:

Animæ ómnium fidélium Defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

Post hæc, processionaliter reditur ad Sacrarium, Cruce præcedente: et interim Celebrans dicit: Si iniquitátes; inde alternatim re-

citat cum Sodalibus Ps. 129. De profúndis (pag. 97) et in fine Réquiem ætérnam: et repetita antiph. integra Si iniquitátes etc. subjungit: ℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera, etc. ut supra; ac demum

Orémus.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

ADNOTANDA.

1. Visitator, in Tabernaculi inspectione, ut dictum est, examinabit an sacra Pyxis sit decens, et bene occludatur operculo; an particulæ sint recentes; an ostiolo Tabernaculum bene claudatur; an clavis sit solida, et conveniens; an mappa interna munda.

2. Post absolutionem Tumuli, si tempus sit aptum, Visitator superpelliceo indutus et comitatus a Rectore, visitat Ecclesiam: inspicit nempe vasculum Olei Infirmorum, exquirens et observans an oleum sit sufficiens et renovatum tempore suo: item Tribunalia sacris confessionibus excipiendis, utrum sint juxta nostra statuta regularia. Pariter observat Altaria, an habeant mappas præscriptas, et an hæ sint mundæ: an lapides sacri una cum sigillis sint integri: si enim essent effracti, renovari omnino deberent.

3. Statuto die visitat Sacrarium; atque observat vasa sacra an sint decentia, vel indigeant inaurari. Item sacras vestes, præsertim illas quæ inserviunt quotidianis usibus, an sint decoræ et aptæ; nec non cætera linteamina an sint nitida, et sufficientia.

4. Duos designabit Religiosos ad recognoscendas Reliquias Sanctorum earumque literas authenticas. Si sigilla non sint integra et visibilia renovari debent; similiter si Reliquia e suo loco exciderit. Idem dicendum si authentica litera deperdita fuerit.

5. Perpendet omnes Missarum libros; attente considerans utrum omnes intentiones commissæ relatæ fuerint fideliter in librum celebrationis, et suo tempore satisfactæ sint: nam si in hoc deprehensus fuerit defectus, Visitator illico satisfactionem præcipiet per Decretum, quod notabit in ipso libro celebrationum.

6. Perpendet pariter omnes libros administrationis œconomicæ, atque arcam (depositum vocant) ubi asservatur pecunia; et præ oculis habeat oportet Instructionem, quam edidit S. C. de Religiosis, die 30 julii an. 1909. — Recognoscet quoque librum quod « Plateam » vocamus, illum nempe, in quo chronologico ordine notatu digna recensentur: itemque librum, ubi referuntur acta Capituli localis: diligenterque animadvertet an in his omnia præscripta servata fuerint.

7. Visere etiam debet Archivum, ut dignoscat utrum omnia sint custodita et ordinata juxta Indicem, qui in eodem loco debet asservari: et si quid inutile recognoverit, id expungat.

8. Officinas quoque adibit, ut certior evadat an sint aptæ, mundae ac iis rebus instructae, quae Familiæ usui inserviunt: nec non omnes Religiosorum cellas, inspecturus utrum in iis quidpiam contra regularia statuta reperiatur.

9. Insuper Visitator quoslibet Religiosos privatim audiat, cum omni patientia, ut prudenter, et quantum possibile est, remedium præbeat perturbationibus, abusibus, inobservantiis.

10. Concionari tandem debet ad Communitatem saltem tribus vicibus, nisi notabile obstaculum id impediat. Visitationem demum absolvet ultima concione, in qua dabit Communitati opportuna monita, et publicabit, si necessarium visum fuerit, ordinationes et decreta a se constituta.

IN FINE VISITATIONIS.

Post concionem, Visitator induit superpelliceum et stolam violaceam ad absolutionem generalem impertiendam.

FORMULA ABSOLUTIONIS GENERALIS.

Juxta Breve Ap. Leonis PP. XIII « Quo universi » sub die VII Julii 1882, relatum in Decr. Authen. S. R. C. n. 3550.

Antiph. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nóstrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram, ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis, ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confíteor. Deinde Sacerdos dicit:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.
℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens, et mséricors Dóminus.
℟. Amen.

Postea subjungit:

Dóminus noster Jesus Christus per mérita suæ sacratíssimæ Passiónis vos absólvat, et grátiam suam vobis infúndat. Et ego auctoritáte ipsíus, et beatórum Apostolórum Petri et Páuli, et Summórum Pontíficum Ordini nostro ac vobis concéssa, et mihi in hac parte commíssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunicatiónis majóris, vel minóris, suspensiónis et interdícti, si quod forte incurrístis, et restítuo vos unióni et participatióni fidélium, necnon sacrosánctis Ecclésiæ sacraméntis. Item eádem auctoritáte vos absólvo ab omni transgressióne votórum et régulæ, constitutiónum, ordinatiónum et admonitiónum majórum nostrórum, ab ómnibus pœniténtiis oblítis, seu étiam negléctis, concédens vobis remissiónem et indulgéntiam ómnium peccatórum, quibus contra Deum et próximum fragilitáte humána, ignorántia, vel malítia deliquístis, ac de quibus jam conféssi estis. In nómine Patris ✠ et Fílii et Spíritus sancti. Amen.

II. De ritu benedicendi mensam.

Benedictio mensæ fieri debet juxta ritum Breviarii Romani. Apud nos consuetudo invaluit incipiendi per Salutationem Angelicam; post quam Superior dicit Benedícite et Communitas repetit Benedícite.

ANTE PRANDIUM.

Dicuntur alternatim sequentes preces:

℣. Oculi ómnium ℟. in te spérant Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu mánum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Kýrie eléison.

℟. Christe eléison.

℣. Kýrie eléison. Pater noster (secreto).

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Orémus. Bénedic, Dómine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. (Omnes se signant signo crucis). ℟. Amen.

Deinde ultimus Clericus vel Sacerdos dicit: Jube domne benedícere.

℣. Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

℣. Deus cháritas est, et qui manet in charitáte in Deo manet et Deus in eo.

℟. Deo grátias.

PRO GRATIARUM ACTIONE POST PRANDIUM.

Ultimus Clericus vel Sacerdos dicit: Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias. (Omnes surgunt).

Postea incipit Superior:

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.

℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Glória Pátri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Laudáte Dóminum omnes gentes: laudáte eum omnes pópuli:

℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Kýrie eléison.

℟. Christe eléison.

℣. Kýrie eléison. Pater noster (secreto).

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit dedit paupéribus.

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea.

℟. Audiant mansuéti et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum.

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Et hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam.

℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

Deinde Pater noster (totum secreto) quo finito:

℣. Deus det nobis suam pacem.

℟. Amen.

BENEDICTIO ANTE CŒNAM.

Post Salutationem Angelicam et Benedícite, a Superiore et a Communitate dicuntur:

℣. Edent páuperes et saturabúntur,

℟. Et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Kýrie eléison.

℟. Christe eléison.

℣. Kýrie eléison. Pater noster (secreto).

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Orémus. Bénedic, Dómine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. (Omnes se signant signo crucis) ℟. Amen.

Ultimus Clericus vel Sacerdos dicit: Jube domne benedícere.

℣. Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

℣. Deus cháritas est, et qui manet in charitáte in Deo manet et Deus in eo.

℟. Deo grátias.

PRO GRATIARUM ACTIONE IN FINE CŒNÆ.

Ab ultimo Clerico vel Sacerdote dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum misericors, et miserátor Dóminus.

℟. Escam dedit timéntibus se.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Benedíctus Deus in donis suis, et Sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Laudáte Dóminum omnes gentes, etc. ut in gratiarum actione post prandium, pag. 77.

Notandum. Praedictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore, praeterquam diebus infrascriptis; quibus primi versiculi variantur in versiculos proprios:

IN VIGILIA NATIVITATIS CHRISTI.

Ante et post meridianam refectionem, dicitur:

℣. Hodie sciétis quia véniet Dóminus, allelúja.

℟. Et mane vidébitis glóriam ejus, allelúja.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI
USQUE AD CŒNAM VIGILIÆ EPIPHANIÆ.

Ante mensam.

℣. Verbum caro factum est, allelúja (genuflectunt omnes).
℟. Et habitávit in nobis, allelúja.

Post mensam.

℣. Notum fecit Dóminus, allelúja.
℟. Salutáre suum, allelúja.

A CŒNA VIGILIÆ EPIPHANIÆ ET PER OCTAVAM.

Ante mensam.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, allelúja.
℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent, allelúja.

Post mensam.

℣. Omnes de Saba vénient, allelúja.
℟. Aurum et thus deferéntes, allelúja.

FERIA IV. V. ET VI. HEBDOMADÆ MAJORIS.

Superior incipit absolute, ante mensam:

℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. Deinde Pater noster (totum secreto) et nihil aliud additur (neque Jube, domne): sed Sacerdos signo crucis benedicit mensam.

In gratiarum actione non dicitur Tu autem, Dómine, miserére nobis, sed incipitur absolute a Superiore ℣. Christus factus est, etc. Pater noster, (totum secreto).

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserére, usque ad Ecclesiam vel Oratorium: ubi Superior addit absolute Orationem

Réspice, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Et non pronuntiatur Qui tecum, nec Fidélium ánimæ, sed secreto dicitur Pater noster, nec additur Deus det nobis suam pacem.

Nota. Ad versiculum Christus factus est etc. in unaquaque die adduntur verba præscripta a Rubrica.

SABBATO SANCTO.

Post Salutationem Angelicam, et consuetum Benedícite, Superior dicit:

℣. Vésperæ autem Sabbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, allelúja.
℟. Venit María Magdaléne et áltera María vidére sepúlchrum, allelúja.

Et per eadem ℣. et ℟. incipit gratiarum actio.

In collatiuncula fit benedictio sicut de more, intra annum.

IN DIE PASCHÆ
USQUE AD CŒNAM SABBATI SEQUENTIS.

Ante et post Mensam:

℣. Hæc dies quam fecit Dóminus, allelúja.
℟. Exultémus et lætémur in ea, allelúja.

IN ASCENSIONE
USQUE AD VIGILIAM PENTECOSTES.

Ante mensam.

℣. Ascéndit Deus in jubilatióne, allelúja.
℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúja.

Post mensam.

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúja.
℟. Captívam duxit captivitátem, allelúja.

A VIGILIA PENTECOSTES
USQUE AD CŒNAM SABBATI SEQUENTIS
(exclusive)

Ante mensam.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúja.
℟. Et hoc quod cóntinet omnia, sciéntiam habet vocis, allelúja.

Post mensam.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúja.
℟. Et cœpérunt loqui, allelúja.

~~RITUS BENEDICTIONIS MENSÆ PROPRIUS C. N.~~

SUPPRESSED.

Ex concessione facta, vivæ vocis oraculo, a Pio PP. VII, die 4 Januarii 1821, hic Ritus servandus est a Clericis et Monialibus Congregationis SSm̃æ Crucis et Passionis D. N. Jesu Christi, singulis feriis VI, in quibus non occurrat festum aut octava habens proprium versiculum: in Solemni Comm. Passionis et per eius octavam; a Dominica Passionis usque ad feriam IV majoris hebdomadae; in festis Inventionis S. Crucis, et ejusdem Exaltationis et per sequentem octavam.

ANTE MENSAM.

℣. Recordáre paupertátis, et transgressiónis meæ, absínthii et fellis: Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Glória Patri, etc. sicut in Breviario.

POST MENSAM.

℣. Omnis figúra ejus amórem spirat et ad redamándum próvocat: Caput inclinátum, manus expánsæ, péctus apértum. Glória Patri etc.

TEMPORE PASCHALI.

Ante Mensam:

℣. Dignus est Agnus qui occísus est, allelúja: Accípere honórem et glóriam et benedictiónem, allelúja.

In fine dicitur ℣. In hoc cognóvimus charitátem Dei, allelúja: Quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit, allelúja.

PRO COLLATIUNCULA
INFRA ANNUM DIEBUS JEJUNII VEL ABSTINENTIÆ.

Post Salutationem Angelicam et Benedícite, prosequitur Superior: Orémus. Bénedic, Dómine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum.

Communitas: ℟. Amen.

Pro gratiarum actione dicto Tu autem, Domine, miserére nobis.

℟. Deo grátias. Subjungitur:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Benedíctus Deus in donis suis, et Sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam.

℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

III. De voluntaria corporis verberatione.

Superior dicit: Fui flagellátus tota die, et castigátio mea in matutínis.

Communitas: Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum, etc. Et Psalmus recitatur alternatim.

Post hæc Hebdomadarius dicit: Jube domne benedícere.

Superior: Pássio Dómini nostri Jesu Christi sit semper in córdibus nostris.

Communitas: Amen.

Hebdomadarius prosequitur: Recordémini, fratres caríssimi, quod Dóminus noster Jesus Christus fuit pro nobis vénditus, ósculo tráditus, ad Calváriæ locum ductus et crucifíxus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Communitas respondet: Deo grátias.

Tunc incipit voluntaria verberatio, quæ continuatur usque dum dicuntur sequentes orationes:

Psalmus Miserére mei Deus, secúndum magnam, etc. et in fine Glória Patri etc.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis.

℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

Hinc alternatim dicitur Psalmus De profúndis.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris.

℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti et Heródis indecénter offérri, a fálsis téstibus accusári, flagéllis, et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, véstibus éxui, cruci clavis affígi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle et acéto potári, et láncea vulnerári. Tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, quas nos indígni recólimus, et per sanctam crucem et mortem tuam líbera nos a pœnis inférni, et perdúcere dignéris quo perduxísti latrónem tecum crucifíxum. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prima oratio dicitur tantum ubi habetur consuetudo, vel est imperata.

Orémus.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

Defénde quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam, et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére deménter insídiis.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor, et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicátiónibus consequántur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

IV. De recitatione serotina Sacratissimi Rosarii.

Rosarii recitatio pertinet ad Hebdomadarium, cui respondet alternatim Communitas: et sic absolvitur:

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Deinde ab omnibus lingua vernacula additur: Laudátum sit semper nomen Jesu, Joseph, sanctæ Annæ, et Maríæ.

Quæ verba repetuntur post unamquamque decadem.

Hebdomadarius paucis verbis proponit Mysterium considerandum; deinde recitat Pater noster et decies Ave María alternatim cum Communitate: in fine Glória Patri.

Post quinque decades, dicitur Antiph. Salve Regína. Deinde recitantur Litaniæ Lauretanæ; et postea Ant. Sub tuum præsídium etc.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Recitatur Pater noster, Ave María, et Gloria Patri ac postea:

℣. Orémus pro benefactóribus nostris.

℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.

Hebdomadarius dicit Ps. De profúndis (pag. 97) alternatim cum Communitate.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, véniæ largítor, et humanæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ Congregatiónis fratres, propínquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt; beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Fidélium, Deus, ómnium Cónditor, et Redémptor, animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Postea indicitur examen conscientiæ et actus contritionis: ac mox recitatur rursus Pater noster, Ave María, et Glória Patri. Deinde:

℣. Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium cum sancto Spíritu.

℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli.

℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣. Benedícat et custódiat nos, omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. Amen.

Postea sequentes preces dicuntur elatiore voce:

℣. Tota pulchra es, María.

℟. Tota pulchra es, María.

℣. Et mácula originális non est in Te.

℟. Et mácula originális non est in Te.

℣. Tu, glória Jerúsalem.

℟. Tu, lætítia Israël.

℣. Tu, honorificéntia pópuli nostri.

℟. Tu, advocáta peccatórum.

℣. O María.

℟. O María.

℣. Virgo prudentíssima.

℟. Mater clementíssima.

℣. Ora pro nobis.

℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua, Virgo María, Immaculáta fuísti.

℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium Jesum peperísti.

Orémus.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas: per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Antiph. Princeps gloriosíssime, Michaël Archángele, esto memor nostri; hic et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei, allelúja, allelúja.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nomini tuo.

Orémus.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius, ut a quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Antiph. Ecce fidélis servus et prúdens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus.

℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Antiph. Salve, sancte Pater, colúmna et decus nostrum, tuum da fíliis spíritum, da perseverántiam: líbera nos a malis, defénde nos in prælio, voca nos in Pátriam.

℣. Ora pro nobis, sancte Páule.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Páulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti; ipsíus nobis intercessióne concéde, ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Suo loco ponatur antiph. cum ℣. ℣. aut S. Mysterii aut Sancti titularis Ecclesiæ.

In fine additur Ave María pro conversione Angliæ, pro cujus recitatione lucramur 300 dies indulgentiæ.

Post hæc Superior aspergit Communitatem aqua lustrali, dicens Ant. Aspérges me etc.

V. Praxis pro Comitiorum celebratione.

Reformatur juxta novas decisiones.

1. Comitia, sive Generalia sive Provincialia, debent nunciari opportuno tempore, a Præside omnibus qui in iis vocem habent activam; et in die fixa sunt celebranda.

2. Tribus diebus præcedentibus, supplicatio fiat (ut pag. 34), ad petendum lumen a Deo; et interim Patres conveniunt in congregationibus præparatoriis mane et vespere, hora a Præside determinanda.

3. In prima congregatione, si Præses est delegatus, debet ante omnia ostendere epistolam delegationis: deinde omnes Capitulares coram eodem Præside dimittunt officium suum, et sigilla propria deponunt. Si Comitia sunt Provincialia, Rectores deponunt insuper diploma, vulgo *Patente*.

4. Item eligitur Scriba temporarius, qui statim officium assumit ad redigenda acta, eidemque committitur custodia Aulæ Capitularis cum omnibus scriptis et documentis.

5. Deinde, si Comitia sunt Generalia, exponuntur a Provincialibus literæ probantes vigilantiam adhibitam quoad celebrationem Missarum: et si Comitia sint Provincialia, singuli Rectores domorum præbere debent Inventaria Recessus, relationem administrationis œconomicæ, literas probantes exactam celebrationem Missarum, et custodiam Archivi, et tandem lectionem Decretorum in Triclinio.

6. His peractis, datur cuique locus proponendi et discutiendi negotia, quæ pro bono Congregationis vel Provinciæ videntur opportuna; et tandem agitur de meritis eligendorum.

7. Tertia die, quæ præcedit immediate diem Electionum, in Choro, post vesperas, sermo seu allocutio apposita habetur ab aliquo e Patribus Capitularibus.

8. Si Præses dispensationes secum ferat circa electiones faciendas, easdem PP. Capitularibus manifestet, si prudens id ducat atque conveniens; secus id fiet orta necessitate.

9. In loco Comitiorum parari debent pro die electionis, præter tabulam appositam, atque instructam charta, calamis, et atramentariis, Altare cum Crucifixo, candelabris, et imagine sancti Fundatoris Congregationis nostræ: item stola violacei coloris; ac demum liber Evangelii, vel Missale. Super alia mensula, remota et velario tecta, ponuntur schedulæ in quibus leguntur nomina Patrum Eligibilium: et in angulo funis et crux, humeris imponenda dum de culpis, ut moris est, fit accusatio.

10. In die electionum, hora competenti, canitur solemniter Missa votiva de Spiritu sancto pro re gravi, ministrantibus ipsis Patribus Capitularibus. Dato postea signo, omnes Capitulares cum Religiosa Familia conveniunt in Ecclesia, vel in choro. Ibi Comitiorum Præses, superpelliceo et stola alba indutus, assistentibus hinc et inde Acolythis cum candelabris, ad pedes Altaris, accipit imaginem Crucifixi et præcinit Hymnum Vexílla Regis pródeunt, etc. pag. 47. Post cantum primi versus, omnes processionaliter se conferunt ad locum Capituli, interim prosequendo cantum ejusdem Hymni. In hac Processione Præses præcedit: et cum ad locum perventum fuerit, ipse subjungit:

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi.
℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quæsumus Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Intervéniat pro nobis, quæsumus Dómine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostræ, apud tuam cleméntiam beáta Virgo María Mater tua, cujus sacratíssimam ánimam in hora tuæ passiónis dolóris gládius pertransívit.

Defénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam: et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde pronuntiat: Abeant céteri omnes, et consístant electóres Comitiórum.

11. Post hæc a Præside fit allocutio brevis circa electionis gravitatem; qua absoluta, recensentur nomina Electorum, juxta ordinem dignitatis officii quo fungebantur; et quoad Rectores, habita ratione antiquitatis Recessus, ubi erant Superiores.

12. Hinc canitur Hymnus Veni, creátor Spíritus, etc. pag. 30.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis faciem terræ.

Orémus.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Actiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio, et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

13. Deinde Præses interrogat Electores his verbis: Sciscitámur an hæc nostra Comítia (Generália vel Provinciália) sint legítime et canónice congregáta, ita ut ad eórum celebratiónem procédere possímus?

Accepto responso affirmativo, sic prosequitur:

Protéstor nómine meo, et ómnium Electórum, néminem a nobis exclúdi qui hábilis sit; neminémque admítti qui ad suffrágium in electiónibus feréndum quacúmque ex cáusa exístat inhábilis.

14. Post hæc exeruntur consueti actus humilitatis (*la colpa*) a prima Dignitate nomine suo et cœterorum. Præses indutus stola violacei coloris impertitur omnibus genuflexis absolutionem a censuris eadem formula, quam retulimus in fine visitationis (pag. 74). Deinde a Digniori datur eadem absolutio ipsi Præsidi, qui genuflectit.

15. Hinc legitur

DECRETUM

SANCTÆ ROM. ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS
CONTRA SOLLICITANTES VEL SACRIFICIO MISSÆ ABUTENTES
DIE V. AUGUSTI 1745.

In Generali Congregatione sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SSm̃o Dñ̃o nostro Benedicto Divina Providentia Papa XIV et Em̃is, ac Rm̃is DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SSm̃us Dñ̃us noster, sollicite animadvertens quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes tam sæculares quam regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, et Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu sacramentalis Confessionis, sive illius occasione aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel

Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, et Apostolicis Constitutionibus, ac signanter s. mem. Sixti V et Gregorii XV contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem: quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de praedictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15 Decembris 1633, semel saltem in anno, id est feria sexta post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant.

16. Legitur quoque

CAPUT VI. SESSIONIS XXV. CONCILII TRIDENTINI

DE REGULARIBUS ETC. — RATIO ELIGENDI SUPERIORES.

In electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, et aliorum Officialium ac Generalium, et Abbatissarum atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, in primis Sancta Synodus distincte præcipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit; et is, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia Officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessæ, eo ipso abrogatæ censeantur: et si in posterum aliæ concedantur, tamquam subreptitiæ habeantur.

17. Postea eliguntur, per scrutinium secretum, Scriba a secretis Capituli, ac duo Scrutatores pro colligendis et dirimendis suffragiis simul cum Scriba; cui propterea facultas a Præside impertitur publicandi scrutinia, et conficiendi ac publicandi decreta electionum.

18. Scrutatores primum exquirunt suffragium a Præside, deinde a Scriba, postea a seipsis mutuo, et demum ab aliis Patribus præsentibus, secundum gradum dignitatis vel ordinem antiquitatis Recessus: denique ab iis, qui forte sint in claustro infirmi, et ad locum Capituli venire nequeant.

19. Mox publicantur a Scriba suffragia summatim, dicendo:

Suffrágia, quæ exquisívimus, sunt univérsim (exprimitur numerus). Deinde, apertis schedulis, exscribuntur nomina singula, quae in eisdem leguntur, et notatur quot suffragia quilibet retulerit.

20. His actis, Scriba dicit: Placet ne vobis, Lectíssimi Patres, ut públicem scrutínium? Respondetur ab omnibus: Placet, et tunc distincte idem Scriba pronuntiat quot suffragia ad quemque pertineant. Si nemo habeat duas ex tribus partibus suffragiorum, scrutinio illo rescisso, proceditur ad novum scrutinium: si vero consequatur electio, Scriba ait: Placet ne vobis, Lectíssimi Patres, quod ego confíciam et públicem Decrétum Electiónis? (Præpósiti, vel Rectóris, etc.)

21. Responso ab omnibus Placet, dicit: Ego N. N. nómine meo et ómnium Eligéntium mihi consentiéntium, invocáta gratia Spíritus sancti, éligo et eléctum pronúntio, et coram vobis público in Præpósitum (Generálem, vel Provinciálem) Admodum Reveréndum Patrem N. N. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

22. His expletis, intro vocatur Communitas ut præstet obedientiam novo Præposito Generali, vel Provinciali: deinde omnes Ecclesiam petunt, ubi fit solemnis expositio SSmi Sacramenti, et canitur Te Deum pro gratiarum actione, pag. 38.

23. In sequentibus sessionibus continuantur eadem forma Electiones: ac demum peractæ cum sint, publicantur coram Communitate. Postea discutiuntur ea quæ ab initio Capituli proposita fuere, et conficiuntur Decreta opportuna. In fine Præses a Patribus Capitularibus sciscitatur an aliquid adhuc habeant proponendum; quod si nihil habeant, conficiuntur acta Capituli, quæ legi et subscribi debent ad omnibus Electoribus.

24. Noviter electi emittant sequentem professionem fidei, ac juramentum, MOTU PROPRIO a SSmo D. N. Pio PP. X præscriptum.

PROFESSIO ORTHODOXÆ FIDEI

juxta formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX praescriptam (S. C. Concilii 20 jan. 1877).

Ego N. firma fide credo et profíteor ómnia et síngula, quæ continéntur in Sýmbolo fídei, quo sancta Romána Ecclésia útitur, vidélicet: credo in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cœli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum: et ex Patre natum ante ómnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero: génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt.

Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descéndit de cœlis: et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: et homo factus est. Crucifíxus étiam pro nobis, sub Póntio Piláto passus, et sepúltus est. Et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cœlum: sedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre, Filióque procédit. Qui cum Patre, et Fílio simul adorátur, et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam cathólicam et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum. Et exspécto resurrectiónem mortuórum: et vitam ventúri sæculi. Amen.

Apostólicas et ecclesiásticas traditiónes reliquásque ejúsdem Ecclesiæ observatiónes et constitutiónes firmíssime admítto et ampléctor. Item sacram Scriptúram juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclésia, cujus est judicáre de vero sensu et interpretatióne sacrárum Scripturárum, admítto: nec eam unquam, nisi juxta unánimem consénsum Patrum, accípiam et interpretábor.

Profíteor quoque septem esse vere et próprie Sacraménta novæ legis, a Jesu Christo Dómino Nostro institúta, atque ad salútem humáni géneris, licet non ómnia síngulis, necessária; scílicet: Baptísmum, Confirmatiónem, Eucharistiam, Pœniténtiam, Extrémam Unctiónem, Ordinem et Matrimónium, íllaque grátiam conférre; et ex his Baptísmum, Confirmátionem et Ordinem sine sacrilégio reiterári non posse. Recéptos quoque et adprobátos Ecclésiæ cathólicæ ritus in supradictorum ómnium Sacramentórum solémni administratióne, recípio et admítto. Omnia et síngula, quæ de peccáto origináli et de justificatióne in sacrosáncta Tridentína Sýnodo definíta et declaráta fuérunt, ampléctor et recípio. Profíteor páriter in Missa offérri Deo verum, próprium et propitiatórium Sacrifícium pro vivis et defúnctis, atque in sanctíssimo Eucharistiæ Sacraménto esse vere, reáliter et substantiáliter corpus et sánguinem una cum ánima et divinitáte Dómini Nostri Jesu Christi, fieríque conversiónem totíus substántiæ panis in corpus, et totíus substántiæ vini in sánguinem, quam conversiónem cathólica Ecclésia transubstantiatiónem appéllat. Fáteor étiam sub áltera tantum spécie totum atque íntegrum Christum, verúmque Sacraméntum sumi. Constánter téneo Purgatórium esse, animásque ibi deténtas fidélium suffrágiis juvári. Simíliter et Sanctos, una cum Christo regnántes, venerándos atque invocándos esse, eósque oratiónes Deo pro nobis offérre; atque eórum relíquias esse venerándas. Firmíssime ássero imágines Christi ac

Deíparæ semper Vírginis, nec non alιórum Sanctórum habéndas et retinéndas esse, atque eis débitum honórem ac veneratiónem impertiéndam. Indulgentiárum étiam potestátem a Christo in Ecclésia relíctam fuísse, illarúmque usum Christiáno pópulo máxime salutárem esse affírmo. Sanctam, cathólicam, et apostólicam Románam Ecclésiam ómnium Ecclesiárum matrem et magístram agnósco, Romanóque Pontífici, beáti Petri Apostolórum Príncipis successóri ac Jesu Christi Vicário, veram obediéntiam spóndeo ac juro.

Cætera item ómnia a sacris Canónibus et œcuménicis Concíliis ac præcípue a sacrosáncta Tridéntina Sýnodo et ab œcuménico Concílio Vaticáno trádita, defínita ac declaráta, præsértim de Románi Pontíficis Primátu et infallíbili magistério, indubitánter recípio atque profíteor; simúlque contrária ómnia, atque hæreses quascúmque ab Ecclésia damnátas et rejéctas et anathematizátas, ego páriter damno, rejício, et anathematízo. Hanc veram cathólicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsénti sponte profíteor et veráciter téneo, eámdem íntegram et immaculátam usque ad extrémum vitæ spíritum, constantíssime, Deo adjuvánte, retinére et confitéri, atque a meis súbditis, seu illis, quorum cura ad me in múnere meo spectábit, tenéri et docéri et praedicári, quantum in me erit, curatúrum. Ego idem N. spóndeo, vóveo ac juro. Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

FORMULA JURISIURANDI

Motu Proprio « Sacrorum Antistitum » (1) a SSño D. N. Pio X praescripta

Ego N. fírmiter ampléctor ac recípio ómnia et síngula, quæ ab inerránti Ecclésiæ magistério definíta, adsérta ac declaráta sunt, præsértim ea doctrinæ cápita, quæ hujus témporis erróribus dirécto adversántur. Ac primum quidem Deum, rerum ómnium princípium et finem, naturáli ratiónis lúmine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibilia* creatiónis opera, tamquam cáusam per efféctus, certo cognósci, adeóque demonstrári étiam posse, profíteor. Secúndo: Extérna revelatiónis arguménta, hoc est facta divína, in primísque mirácula et prophetías admítto et agnósco tamquam signa certíssima divínitus ortæ christiánæ Religiónis, eadémque téneo ætátum ómnium atque hóminum, étiam hujus témporis, intelligéntiæ esse máxime accommodáta. Tértio: Firma páriter fide credo, Ecclésiam, verbi reveláti custódem

(1) I. Sept. MCMX.

et magístram, per ipsum verum atque históricum Christum, quum apud nos dégeret, próxime ac dirécto institútam, eamdémque super Petrum, apostólicæ hierarchíæ príncipem ejúsque in ævum successóres ædificátam. Quarto: Fídei doctrínam ab Apóstolis per orthodóxos Patres eódem sensu eadémque semper senténtia ad nos usque transmíssam, sincére recípio; ideóque prorsus rejício hæréticum comméntum evolutiónis dógmatum, ab uno in álium sensum transeúntium, divérsum ab eo, quem prius hábuit Ecclésia; paritérque damno errórem omnem, quo, divíno depósito, Christi Sponsæ trádito ab Eâque fidéliter custodiéndo, suffícitur philosóphicum invéntum, vel creátio humánæ consciéntiæ, hóminum conátu sensim efformátæ et in pósterum indefiníto progréssu perficiéndæ. Quinto: Certíssime téneo ac sincére profíteor, Fidem non esse cæcum sensum religiónis e látebris *subconsciéntiæ* erumpéntem, sub pressióne cordis et inflexiónis voluntátis morâliter informátæ, sed verum asséնsum intelléctus veritáti extrínsecus accéptæ ex audítu, quo nempe, quæ a Deo personáli, creatóre ac dómino nostro dicta, testáta et reveláta sunt, vera esse crédimus, propter Dei auctoritátem summe verácis.

Me étiam, qua par est, reveréntia, subjício totóque ánimo adhæreo damnatiónibus, declaratiónibus, præscríptis ómnibus, quæ in Encýclicis litteris « *Pascéndi* » (1) et in Decréto « *Lamentábili* » (2) continéntur, præsértim circa eam quam históriam dógmatum vocant. — Idem réprobo errórem affirmántium, propósitam ab Ecclésià fidem posse históriæ repugnáre, et cathólica dógmata, quo sensu nunc intelligúntur, cum verióribus christiánæ religiónis origínibus compóni non posse. — Damno quoque ac rejício eórum senténtiam, qui dicunt, christiánum hóminem eruditiórem indúere persónam dúplicem, áliam credéntis, áliam históríci, quasi licéret histórico ea retinére quæ credéntis fídei contradícant, aut præmíssas adstrúere, ex quibus consequátur dógmata esse aut falsa aut dúbia, modo hæc dirécto non denegéntur. — Réprobo páriter eam Scriptúræ Sanctæ dijudicándæ atque interpretándæ ratiónem, quæ, Ecclésiæ traditióne, analogía Fídei, et Apostólicæ Sedis normis posthábitis, *rationalistárum* comméntis inhæret, et críticen textus velut únicam supremámque régulam, haud minus licénter quam témere ampléctitur. — Senténtiam prætérea illórum rejício qui ténent, doctóri disciplínæ históricæ theológicæ tradéndæ, aut iis de rebus scribénti seponéndam prius esse opiniónem ante concéptam sive de

(1) VIII. Sept. MCMVII.
(2) IV. Julii MCMVII.

supernaturáli orígine cathólicæ traditiónis, sive de promíssa divínitus ope ad perénnem conservatiónem uniuscujúsque reveláti veri; deínde scripta Patrum singulórum interpretánda solis sciéntiæ princípiis, sacra quálibet auctoritáte seclúsa, eâque judícii libertáte, qua profána quævis monuménta solent investigári. — In univérsum dénique me alieníssimum ab erróre profíteor, quo *modernístæ* tenent in sacra traditióne nihil inésse divíni; aut, quod longe detérius, pantheístico sensu illud admíttunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, commúnibus históriæ factis æquándum; hóminum nempe sua indústria, solértia, ingénio scholam a Christo ejúsque Apóstolis inchoátam per subsequéntes ætátes continuántium. Proínde fidem Patrum firmíssime retíneo et ad extrémum vitæ spíritum retinébo, de charísmate *veritátis certo*, quod est, fuit erítque semper in *episcopátus ab Apóstolis successióne;* (1) non ut id teneátur quod mélius et áptius vidéri possit secundum suam cujúsque ætátis cultúram, séd ut *nunquam áliter credátur*, *nunquam áliter* intelligátur absolúta et immutábilis véritas ab inítio per Apóstolos prædicáta (2).

Hæc ómnia spóndeo me fidéliter, íntegre sinceréque servatúrum et inviolabíliter custoditúrum, nusquam ab iis sive in docéndo, sive quomodólibet verbis scriptísque deflecténdo. Sic spóndeo, sic juro, sic me Deus ádjuvet et hæc sancta Dei Evangélia.

VI. Benedictio Apostolica in Articulo Mortis.

1. Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis, illis infirmis qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiam si postea linguæ, ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda. Cum autem impertitur, retinenda est in omnibus hæc formula, omnibus aliis abolitis, juxta Breve Ap. cit. pag. 74

2. Sacerdos ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic dómui, et ómnibus habitántibus in ea. Ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicens Anti·

(1) Iren., 4. c. 26.
(2) Praeser. c. 28.

phonam: Aspérges me, Dómine, hyssòpo et mundábor; lavábis me, et super nivem dealbábor.

3. Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit.

4. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam.

5. Postea dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Antiphona. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (vel ancíllæ tuæ): neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam,) et sic deinceps.
℟. Deus meus sperántem in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Clementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem, atque sperántem: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiána comméndant. Vísita eum in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem, et véniam cleménter indúlge: ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Tum dicto ab uno ex Clericis astantibus Confíteor, etc. Sacerdos dicat: Misereátur, etc. Deinde:

Dóminus noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi, atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti: et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, **indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.**

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater ✠, et Fílius, et Spíritus sanctus. Amen.

7. Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur, incipiendo a verbis **Indulgéntiam plenáriam** etc., ut supra.

VII. Ritus Absolutionis in Exequiis præsente Corpore Defuncti.

Constituto tempore, quo cadaver ad Ecclesiam deferendum est, convocatur Communitas, datis certis campanæ signis: et Sacerdos indutus superpelliceo et stola nigra cubiculum ingrediens, cadaver aspergit aqua benedicta; mox dicit

Antiphonam: Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant áures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis substinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam etc.; ac repetit totam Antiphonam Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine quis sustinébit?

Hinc cadaver effertur, et Sacerdos ad Ecclesiam procedens, præcedentibus Acolythis cum Cruce et candelabris ac Religiosis sodalibus, intonat Antiphonam Exultábunt Dómino, et Cantores inchoant

PSALMUM 50.

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium, et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit láudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Réquiem etc.

Ad ingressum Ecclesiæ, repetitur Antiphona Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

Deinde Ecclesiam ingressi cantant Resp. Cantoribus incipientibus et Clero alternatim respondente, videlicet:

Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini: suscipiéntes ánimam ejus: offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te: et in sinu Abrahæ Angeli dedúcant te.

℟. Suscipiéntes ánimam ejus: offeréntes eam in conspéctu Altíssimi,

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine: et lux perpétua lúceat ei.

℟. Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

Deposito feretro in medio Ecclesiæ, ita ut Defuncti pedes, si fuerit Frater laicus, sint versus Altare majus; si vero fuerit Sacerdos. caput sit versus ipsum Altare; et cereis accensis circa corpus, statim celebratur Missa solemnis pro defuncto (si tempus congruens fuerit) ut in die depositionis in Missali Romano.

Finita Missa, Sacerdos, deposita casula seu planeta, et manipulo, accipit pluviale nigri coloris: et Subdiaconus accipit Crucem, et accedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos Acolythos seu Ceroferarios cum candelabris et candelis accensis: et omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri: tum sequitur Sacerdos cum Diacono, et assistente, aliisque ministris, et facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; et Acolytho seu Clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem:

Non intres in judícium cum servo tuo Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális senténtia premat, quem tibi vera supplicátio fídei christiánæ comméndat: sed grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret, insignítus est signáculo sanctæ Trinitátis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde, Cantoribus incipientibus, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium:

℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna in die illa treménda: Quando cœli movéndi sunt et terra: Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum, ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira.

℟. Quando cœli movéndi sunt et terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna et amára valde.

℟. Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine: et lux perpétua lúceat ei.

℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die illa treménda: Quando cœli movéndi sunt et terra: Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

Dum cantatur prædictum Resp., Sacerdos, Acolytho et Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, et ponit in thuribulum; et finito Responsorio, Cantores dicunt:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Mox Sacerdos dicit alta voce: Pater noster, et secreto dicitur ab omnibus; et ipse interim accipit a Diacono vel Acolytho aspersorium aquæ benedictæ, et facta profunda inclinatione Cruci, quæ est ex adverso, Diacono, seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), aspergit corpus defuncti; deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat, ut asperserat: postea reddito thuribulo ei, a quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit:

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere: te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. fratris nostri, quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti; ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci: ut quia in te sperávit, et crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gaúdia ætérna possídeat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos in oratione dicatur: pro ánima fámuli tui N. Sacerdótis, etc. quam hódie, etc.

Deinde cantatur Responsorium:

In paradísum dedúcant te Angeli: in tuo advéntu suscípiant te Mártyres, et perdúcant te in civitátem sanctam Jerúsalem. Chorus Angelórum te suscípiat, et cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeas réquiem.

Mox Sacerdos intonat antiphonam Ego sum. et Cantores

CANTICUM ZACHARIÆ.

Luc. 1. g.

Benedíctus Dóminus Deus Israël: * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem ætérnam.

Et repetitur Antiphona: Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me non moriétur in ætérnum.

Postea Sacerdos dicit: Kýrie eléison. Chorus prosequitur: Christe eléison. Kýrie eléison. Sacerdos: Pater noster: et interim, stans in eodem loco, corpus aspergit.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Fac, quæsumus Dómine, hanc cum servo tuo defúncto misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui tuam in votis ténuit voluntátem: ut sicut hic eum vera fides junxit fidélium turmis; ita illic eum tua miseratio sóciet angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.
℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.

Anima ejus et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

Deinde, dum in Sacrarium reditur, annunciatur sine cantu Antiphona Si iniquitátes, et dicitur Psalmus De profúndis, Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, etc.: et repetita integra antiph. Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine quis sustinébit, Sacerdos subjungit:

Kýrie eléison.
Christe eléison.
Kýrie eléison, Pater noster (secreto).
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Fidélium, Deus, ómnium Cónditor, et Redémptor, animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue pec-

catórum: ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

VIII. Ritus Absolutionis in Exequiis absente Corpore Defuncti.

Post Missam, Celebrans accedit ad locum tumuli (ut dictum est pag. 99.) cum Diacono a sinistris; et cantatur ℟. Líbera me Dómine pag. 99. Interim ministratur incensum, benedicitur et imponitur in thuribulum.

Postea dicitur: Kýrie eléison etc.

Mox Sacerdos incipit Pater noster: et dum secreto dicitur, accipit aspersorium, circuit tumulum aspergens, deinde incensat; et ad pristinum locum reversus prosequitur:

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam eius.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui N. ut defúnctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Réquiem ætérnam etc. ut pag. 102.

Quod si defunctus fuerit Sacerdos, in oratione addatur Fámuli tui N. Sacerdótis; vel dicatur propria

Oratio.

Deus qui inter apostólicos sacerdótes, fámulum tuum N., sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro defuncto Episcopo dicitur: Pontificáli fecísti dignitáte vigére.

Pro Summo Pontifice Defuncto.

Oratio.

Deus, qui inter summos sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dispositióne connumerári voluísti: præsta, quæsumus; ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

Tandem, cum agitur de die III. VII. XXX. vel anniversario, potest etiam repeti oratio quae in Missa dicta est: nempe

In die III. VII. et XXX,

Oratio.

Quæsumus Dómine, ut ánimæ fámuli tui N., cujus depositiónis diem tértium (vel séptimum, vel trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium: et rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

In Anniversario.

Oratio.

Deus indulgentiárum Dómine: da ánimae fámuli tui, cuius anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si Anniversarium fuerit pro pluribus defunctis, ut in annua commemoratione omnium Fratrum, Benefactorum et Parentum nostrorum, Oratio et Vers. dicantur in numero plurali: si fuerit pro Sacerdote, in Oratione exprimatur nomen dignitatis; vel etiam dicatur oratio propria, ut supra.

IX. Ritus benedicendi et imponendi Scapulare Nigrum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C.

Sacerdos indutus superpelliceo et stola rubea, eo genuflexo, cui Scapulare est imponendum, dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári, flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, facie velári, véstibus éxui, cruci clavis affígi et láncea vulnerári: tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas et sanctam crucem et mortem tuam hujus fámuli tui (vel fámulæ tuæ) intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut charitátis tuæ dulcédine perfúsus (vel perfúsa) lácrymas compunctiónis júgiter effúndat, totáque virtúte te díligat, et quæ tibi plácita sunt tota dilectióne perfíciat: Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui tégumen mortalitátis nostræ assúmere dignátus es: te humíliter deprecámur; ut hoc induméntum, quod in memóriam tuæ sanctíssimæ passiónis et mortis institútum fuit, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris; ut hic fámulus tuus (vel hæc fámula tua), qui (vel quæ ipsum gestáverit, ejúsdem Passiónis pár-

ticeps efféctus (vel efficta), ætérnam glóriam tuam cónsequi mereátur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Hic Sacerdos sacrum Scapulare aspergit aqua benedicta, et illud imponit, dicens:

Induat te Dóminus novum hóminem, ut hac lúgubri pœniténtiæ téssera munítus, júgiter aspícias ad Jesum, quem manus impiórum confixérunt, et dóleas super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℟. Amen.

Deinde subjungit:

Et ego ex facultáte mihi concéssa recípio te ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quibus ex Apostólico privilégio gáudet Congregátio Sanctíssimæ Crucis et Passiónis Dómini nostri Jesu Christi. In nómine Patris, et Fílii ✠, et Spíritus sancti.

℟. Amen.

In fine tandem:

Pássio Dómini nostri Jesu Christi sit semper in córdibus nostris.

℟. Amen.

His expletis, Sacerdos unumquemque opportune doceat et hortetur Passionem Dominicam crebro meditari.

X. Ordo benedicendi Coronas Quinque Vulnerum D. N. J. C.

non tamen ex præscripto servandus, cum sufficiat unicum signum Crucis.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Rogámus te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, ut has Corónas quinque vúlnerum dilectíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi bene✠dícere dignéris, ut qui eas recitáverint, méritis Passiónis ejúsdem Fílii tui, grátiam in præsénti et ætérnam glóriam obtíneant in futúrum. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen

Postea aspergantur Coronæ aqua benedicta.

XI. Benedictio Rosariorum B. M. V.
omnino adhibenda ex Decr. S. C. Indul. 29 Febr. 1864.

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus, dicat:
℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens et misericors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, de cœlis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti ut nos eríperes de potestáte diáboli: obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut hæc signa Rosárii, in honórem et láudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta, bene ✠ dícas, et sanctí ✠ fices, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus Sancti, ut, quicúmque horum quódlibet secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis ad te, secúndum hujus sanctæ Societátis institúta, divína contemplándo mystéria devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et particeps ómnium gratiárum, privilegiórum et indulgentiárum, quæ eídem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, etc.

℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

XII. Benedictio Coronæ Septem Dolorum B. M. V.

pariter omnino adhibenda ex eodem Decreto.

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus, dicat:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens et misséricors Deus, qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, pro redemptióne nostra de cœlis ad terram descéndere, carnem suscípere, et crucis torméntum subíre voluísti: obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut hanc corónam, in memóriam septem dolórum Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam, bene ✠ dícas, et sanctí ✠ fices, et ei tantam Spíritus Sancti virtútem infúndas, ut quicúmque eam recitáverit, ac secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo a Beatíssima Vírgine María tibi bonis opéribus coronátus præsentári mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat coronam aqua benedicta. Postea eam porrigens, dicat:

Accipe corónam beátæ Maríæ Vírginis, in memóriam septem dolórum suórum contéxtam: ut dum eam ore laudáveris, ejus pœnas toto corde compatiáris. Amen.

Deinde benedicens dicat:

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis Patris, et Fílii ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te (vel super vos), et máneat semper.

℟. Amen.

XIII. Preces et orationes sub initio Missionum vel Exercitiorum.

Hymnus Veni, Creátor Spíritus, etc., pag. 30.
℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Omnípotens et mitíssime Deus, qui sitiénti pópulo fontem vivéntis aquæ de petra produxísti: educ de cordis nostri durítia lácrimas compunctiónis: ut peccáta nostra plángere valeámus, remissionémque eórum, te miseránte, mereámur accípere.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

In die Communionis generalis.

Sermone pro actione gratiarum post Communionem expleto, solemniter exponitur SSñum Eucharistiæ Sacramentum; et post thurificationem, quinquies ut indulgentiae acquirantur, recitatur Pater, Ave ac in fine, una tantum vice, Glória Patri. Deinceps, Sacerdote præcinente, canitur:

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui;
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis.
℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus; ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus.

Effúnde super nos, quæsumus, omnípotens Deus, spíritum grátiæ et precum, ut Unigéniti Fílii tui Passiónem pio devotiónis afféctu júgiter recólere, et in pópuli tui corde, mónitis et exémplo imprímere valeámus.

Deus, qui diligéntibus te, facis cuncta prodésse, da córdibus nostris inviolábilem tuæ charitátis afféctum; ut desidéria de tua inspiratióne concépta, nulla póssint tentatióne mutári.

Deinde tres orationes consuetæ, pag. 19.

Mox Sacerdos populum rogat ut recitet Pater et Ave, ad conversionis gratiam peccatoribus in malo obfirmatis impetrandam; ac tandem benedictionem cum Venerabili super populum more solito impertit.

Postrema Concionum die.

Immediate post ultimam Concionem, Missionarius, ut fructus Missionis diutius in corde auditorum permaneat, salutaria monita ipsi populo tradit: deinde, superpelliceo et stola albi coloris indutus Numismata, Cruces, Coronas, etc. unico Crucis signo benedicit cum applicatione Indulgentiarum Papalium etc. quas breviter populum docebit. Hac benedictione expleta, absolute in tono feriali dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.
℟. Et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens, et miséricors Deus, da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli (vel famíliæ) hujus in humilitáte cordis véniam peccatórum poscéntis, tuámque benedictiónem præstolántis et grátiam,

cleménter exáudi: déxteram tuam super eum (vel eam) benígnus exténde, ac plenitúdinem divínæ benedictiónis effúnde, qua bonis ómnibus cumulátus (vel cumuláta) felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Hic, pro viribus, auditores ad sinceram suorum scelerum detestationem excitare satagat: et facta iterum a populo protestatione non peccandi de cetero, Missionarius cum imagine Crucifixi, non triplici sed unico Crucis signo (ut monet Rituale), Benedictionem Apostolicam populo elargiatur, dicens in tono feriali:

Benedícat vos Omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟. Amen (1).

Sic elargita super populum Papali Benedictione, alius e Missionariis indutus superpelliceo ac stola suggestum ascendit, et pro gratiarum actione intonat sequentem hymnum, prosequentibus Clero ac universo populo:

Te Deum laudámus, etc., pag. 38.

---

(1) Ex Rescripto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, sub die 10 jan. 1906, hac sola Benedictione, quam Papalem vocant, benedici ac imponi possunt Scapularia omnia, omnesque coronas aliaque devota objecta indulgentiis ditari: quapropter hodie omitti potest Benedictio cum applicatione indulgentiarum, quam unico crucis signo Missionarii Numismatibus, Crucibus, Coronis etc. (ut supra diximus pag. 110) impertiri consueverunt. Verumtamen populus, ante Benedictionem Ap., edocendus est de facultate Nobis facta ex memorato Rescripto.

Quod si quis velit, iuxta Decretum S. C. S. O. (Sect. de Indulg.) sub die 16 dec. 1910, sufficere numismata Scapularibus, notare juvat per solam Benedictionem Ap. hanc suffectionem non fieri, sed oportere ut Missionarius, post eamdem Benedictionem, numismata tot distinctis vicibus unico Crucis signo benedicat, quot sunt Scapularia quæ per ipsam Benedictionem imposita fuerunt.

PARS QUINTA

DE RITU POSTULANTES S. HABITU INDUENDI

AC NOVITIOS AD PROFESSIONEM RECIPIENDI

I. Ritus Postulantes induendi.

A Benedicto XIV approbatus per Rescriptum sub die 16 Septembris 1746.

*

Cum religiosa Familia fuerit in Ecclesia congregata, Superior, vel alius de ipsius mandato, indutus alba, stola et pluviali coloris tempori et officio convenientis, accedit ad Altare, et stans in medio, sequentes orationes dicit versa facie ad Crucem.

Postulans in inferiori Altaris gradu interim debet genuflecti; et si eodem die incidat Professio Novitii, adsit et ipse una cum Postulante.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili charitáte et abundántia tuæ pietátis per mortem Unigéniti Fílii tui Dómini Nostri Jesu Christi collápsum mundum erígere dignátus es, ut nos a morte perpétua liberáres, et ad gáudia perdúceres Paradísi; propítius réspice fámulum tuum N. (vel fámulos tuos N. N.), qui te solum Deum in Família, hic in tuis láudibus congregáta, pura mente sectári desíderat, (vel desíderant), ut tuis semper auxíliis ábstrahas a nóxiis, ad salutária dírigas, ac per sémitam mandatórum tuórum, mérito Fílii tui acerbíssimæ Passiónis, et intemerátæ Matris ejus Vírginis Máriæ, omniúmque Sanctórum intercessióne, cœléstium bonórum perpétuo múnere fácias esse consórtem (vel consórtes). Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Deus, qui sic dilexísti mundum, ut Fílium tuum Unigénitum dares; concéde fámulo tuo N. (aut fámulis tuis N. N.) quem (vel quos), sanctæ compunctiónis ardóre ab hujus sæculi vanitáte separásti, inviolábilem tuæ charitátis afféctum: ut protectiónis tuæ præsídio munítus (vel muníti) desidéria, de tua inspiratióne concépta, nulla possit (vel possint) tentatióne mutáre. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus innócens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti, et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári, flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie vélari, véstibus éxui, Cruci clavis áffigi, in Cruce levári, inter latrónes deputári, felle et acéto potári, et láncea vulnerári; Tu Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, et sanctam Crucem et mortem tuam, intelléctum illúmina, afféctum inflámma, et cor fámuli tui (sive famulórum tuórum) jáculo Divíni Amóris transfíge, ut ipse, (vel ipsi) charitátis tuæ dulcédine perfúsus (sive perfùsi) lácrimas compunctiónis júgiter effúndat (aut effúndant) totáque virtúte te díligat (seu díligant), et quæ Tibi plácita sunt tota dilectióne perfíciat (seu perfíciant). Qui vivis et regnas cum Deo Pare, in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos procedit ad cornu Epistolæ, ibique stans, benedicit vestimenta, dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

SUPER TUNICAM.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es, tuæ largitátis cleméntiam humíliter implorámus, ut hoc

genus vestiménti, quod in memóriam tuæ sanctíssimæ Passiónis et mortis institútum fuit, ita bene✠dícere et sancti✠ficáre dignéris, ut hic fámulus tuus (vel hi fámuli tui), qui nostræ Congregatiónis hábitum piæ devotiónis afféctu assúmere inténdit (sive inténdunt), Te quoque indúere mereátur (aut mereántur). Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

SUPER CINGULUM.

Orémus.

Deus, qui ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti: béne ✠ dic, quæsumus, Cíngulum istud, et præsta; ut fámulus tuus (sive fámuli tui), qui eo usus fúerit (vel usi fúerint) vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuo memor exístat, (aut mémores exístant), et in Congregatióne, quam ingréditur (seu ingrediúntur), perénniter persevéret (aut persevérent); tuísque semper obséquiis se alligátum esse cognóscat, (seu se alligátos esse cognóscant). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

SUPER PALLIUM.

Orémus.

Béne ✠ dic, quæsumus Dómine Jesu Christe, Pállium istud et cœlésti misericórdia sanctí ✠ fica, ut sicut in conspéctu Heródis veste alba índui, et in átrio prætórii chlámyde purpúrea circúmdari non horruísti; ita fámulum tuum, (seu fámulos tuos) qui illo in memóriam tuæ Passiónis induétur, (seu induéntur), probra, derisiónes, et ludíbria pro glória Nóminis tui fórtiter toleráre concédas. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Quibus dictis, aspergantur Postulans simul et vestimenta aqua benedicta.

Si adsit et Novitius ad professionem faciendam, aspergatur simul cum Postulante. Deinde Sacerdos sedens, utrumque alloquatur: ac sermone expleto, Postulantem exuat vestimentis sæcularibus dicens:

Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis, ut induáris Jesum Christum Crucifíxum.

Immittendo Tunicam, dicat:

Immíttat in te Dóminus hanc lúgubrem pœniténtiæ túnicam, ut júgiter aspícias ad Jesum, quem manus impiórum confixérunt, et dóleas super eum, ut doléri solet in morte Primogéniti.

℟. Amen.

Ad Cingulum:

Præcíngat te Dóminus cíngulo charitátis et justítiæ, ut Cruci fidéliter adstans, vínculo Divíni Amóris illi inseparabíliter conjungáris.

℟. Amen.

Ad Pallium:

Dómine Jesu Christe, qui dixísti: Jugum meum suave est, et onus meum leve, præsta quæsumus, ut fámulus tuus sic istud portáre váleat, ut assídua Dominícæ Passiónis meditatióne munítus, carnis mortificatiónem júgiter prosequátur.

℟. Amen.

Imponens Crucem super humeros Postulantis:

Accipe, Frater charíssime, Crucem in memóriam Crucis Dómini nostri Jesu Christi: ábnega temetípsum sub poténti manu Dei, ut hábeas partem cum illo in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Imponens super caput ejus spineam Coronam:

Accipe, Frater charíssime, spíneam corónam in memóriam Spíneæ Corónæ Christi Dómini: humília temetípsum sub poténti manu Dei, et esto súbditus omni creatúræ propter Deum.

℟. Amen.

Deinde stans Sacerdos in medio Altaris, versa facie ad Crucem, intonat sequentem

Ant. Fodérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Recitatur a Choro alternatim

PSALMUS 21.

Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres no-

stri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * táuri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt, et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum:

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo, qui nascétur, quem fecit Dóminus. Glória etc.

Quo finito, repetitur Antiph. Fodérunt etc. Postea Sacerdos dicat:

℣. Vere languóres nostros ipse tulit.
℟. Et dolóres nostros ipse portávit.
℣. Factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.
℟. Mortem autem Crucis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Réspice, quæsumus, Dómine, super hunc fámulum tuum pro quo (vel super hos fámulos tuos pro quibus) Dóminus noster Jesus Christus non dubitavit mánibus tradi nocéntium, et Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit etc.

Sacerdos aufert Crucem ab humeris Postulantis, et candelam accensam ei tradit dicens:

Accipe, frater charíssime, lumen Christi, ut mórtuus mundo Christo vivas: exúrge a mórtuis et illuminábit te Christus.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Clementíssime Dómine, Salvátor mundi, Lux vera et Sol justítiæ, qui post Passiónem et mortem tuam regréssus ab ínferis humáno géneri serénus illuxísti: præsta quæsumus, ut hic fámulus tuus (sive hi fámuli tui) purgáto mentis óculo, ea cérnere possit, (vel possint) quæ tibi sunt plácita, quátenus post hujus sæculi caliginósa discrímina ad lucem indeficiéntem perveníre mereátur (aut mereántur).

Omnípotens et misséricors Deus, qui omnem ánimam pœniténtem et confiténtem Tibi, magis vis emendári, quam pérdere: réspice super hunc fámulum tuum, (seu super hos fámulos tuos) et intercedénte Unigéniti Fílii tui Passióne avérte ab eo (vel ab eis) iram indignatiónis tuæ, et ómnia ejus (sive eórum) peccáta dimítte.

Súscipe, quæsumus, Dómine, a devóto fámulo tuo (vel a devótis fámulis tuis) sacrifícium istud abnegatiónis sui ipsíus, et pari bene ✠ dictióne cœléstem tuæ grátiæ rorem in eum (sive in eos) infúnde; et quod ipse óbtulit (vel ipsi obtulérunt) ad Majestátis tuæ honórem, et ad memóriam Passiónis Unigéniti Fílii tui, illi (vel illis) ad salútem profíciat sempitérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde omnibus genuflexis intonat Sacerdos Hymnum Veni Creátor Spíritus, etc. pag. 30.

Dum alternatim a Religiosis cantatur Hymnus, Novitio novensili datur ab omnibus osculum pacis.

Nota. Si adsit et Novitius ad professionem faciendam, post cantum supradicti Hymni, Sacerdos dicit: ℣. Emítte etc. ℟. Et renovábis etc. ac tres Orationes, ut pag. 122. Deinde benedicit Signum, ut pag. 121. Demum Novitius se prosternit in loco præparato, etc. ut dicitur pag. 122.

Si autem non adsit Novitius ad professionem, Sacerdos dicat:

℣. Confírma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvum fac servum tuum (vel salvos fac servos tuos), Domine.
℟. Et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Meménto congregatiónis tuæ.
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosíssima.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.
℟. Adorábo ad Templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Dómine Jesu Christe, in cujus Nómine omne genufléctitur, cœléstium, terréstrium et infernórum: adésto propítius supplicatiónibus no-

stris, ut hic fámulus tuus (vel hi fámuli tui) ómnium hóstium superátis insídiis, in sua vocatióne digne et laudabíliter persevéret, (sive persevérent), ac perpétua pace in Paradísi glória lætétur (seu læténtur).

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas; propítius réspice super pusíllum gregem servórum tuórum sub vexíllo Sanctæ Crucis et Passiónis Dómini Nostri Jesu Christi militántium: ut nos, hic in tuo Nómine congregáti, virtútum ómnium percipiámus increménta, quibus ad Te, qui Via, Véritas et Vita es, tua miseratióne perveniámus.

Excita quoque, Dómine, poténtiam tuam, glorífica manum, et bráchium tuum déxterum super nos benígnus exténde; ut próprio sánguine deféndere Ecclésiam sanctam tuam, vítia pópuli tui eradicáre, inimícos Crucis Christi contérere, et in fidélium córdibus Domínicæ Passiónis devotiónem imprímere valeámus: osténde ígitur nobis, quæsumus, quanta opórteat nos pro Nómine tuo et fácere, et pati; ut cognóscat mundus Te, Deum Sanctum, fortem, Immortálem, et quem misísti Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe, nunc, et in hora mortis nostræ, apud tuam cleméntiam beáta Virgo María Mater tua, cujus sacratíssimam ánimam in hora tuæ Passiónis dolóris gládius pertransívit.

Exáudi nos Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus; et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Páulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde, ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula saeculórum.

℟. Amen.

Postea Sacerdos benedicat Novitium et adstantes, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus: Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. Amen.

II. Ritus Recipiendi Novitios ad vota simplicia.

Superior, vel alius Sacerdos de ejus mandato, indutus alba, stola et pluviali pro temporis et officii ratione convenientibus, egreditur e Sacrario una cum Religiosis, accedensque ad Altare et sistens se in cornu Epistolæ benedicit sanctum Congregationis N. Signum dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Sanctí ✠ fica, Dómine Jesu Christe, Signáculum istud Passiónis tuæ, ut sit inimícis tuis obstáculum, et credéntibus in Te perpétuum victóriæ vexíllum. Qui cum Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Rogámus Te, Dómine sancte, Pater omnípotens ætérne Deus, ut dignéris bene ✠ dícere hoc Signum Passiónis Fílii tui: ut sit remédium salutáre illud deferénti, in soliditátem fídei, et proféctum animárum; sit solámen, et protéctio, ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Concéde, quæsumus Dómine Deus noster, per mérita Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, ut hoc sacrosánctum vivíficæ ejúsdem Fílii tui Passiónis Signum, quod hic fámulus tuus (vel hi fámuli tui) extérius gestábit (seu gestábunt) in péctore, intérius ita impréssum téneat (vel tenéant) ut mortificatiónem Crucis in semetípso circúmferens (sive in semetípsis circumferéntes) et Christo in Cruce confíxus júgiter vivéns, (seu confíxi júgiter viventes), illud quoque in ómnium fidélium córdibus, Te adjuvánte imprímere, devotionémque erga ejúsdem Fílii tui Passiónem ubíque dilatáre váleat (aut váleant). Per eúmdem Dóminum nostrum, Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Aspergat Signum dicens:

Benedíctio Dei omnípotentis, Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

Deinde Superior sedens in cornu Epistolæ, Novitium genuflexum interrogat de seria intentione Vota simplicia emittendi: an libere eadem emittat; an noscat præscripta Regularum Congregationis; et an habeat impedimentum, ob quod in Congregationem admitti non possit: et si ad has interrogationes Novitius recte responderit, poterit idem Superior per appositum sermonem de gravitate ac sanctitate actus professionis Novitium et adstantes edocere.

Completo sermone genuflectens intonat: Veni, Creátor Spíritus, etc. pag. 30. Hymnoque alternantibus choris finito, dicit:

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur.

℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus.

Adsit nobis quæsumus, Dómine, virtus Spíritus sancti, quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

Vúlnera cor nostrum, Deus, charitáte tua, et hanc oblatiónem fámuli tui (vel famulórum tuórum) benígnus assúme, ac præsta; ut quod ipse fidéliter pétit, efficáciter consequátur (seu ut quod ipsi fidéliter pétunt, efficáciter consequántur).

Actiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio, et operátio, a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde Novitius se prosternat in loco præparato: dum, ab alio Sacerdote, alba et stola violacea induto, legitur, ad cornu Evangelii, Passio a sancto Joanne Evangelista descripta: et ad verba: Trádidit spíritum, se erigat Novitius, et genuflectens ad Superioris pedes, manus suas ponat inter manus ipsius, ac clara voce suam professionem emittat:

Ego N. N. vóveo, et promítto, voto et promissione símplici, Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, totíque Curiæ cœlésti, ac tibi Pater: Paupertátem, Castitátem, et Obediéntiam; insuper et Stúdium promovéndi pro víribus in Fidélium córdibus devotiónem Domínicæ Passiónis, juxta Régulas et Constitutiónes Congregatiónis Clericórum Excalceatórum, sub invocatióne Sanctæ Crucis et Passiónis Dómini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Quod si Novitius servitio militari adstringatur, cum ex decr. S. C. de Religiosis (1. jan. 1911) ad vota dumtaxat temporanea admitti possit, ante ℟. Amen, addat: « Usque ad tempus militáris servítii ».

Cum autem a militari servitio dimissus fuerit, professionem emittet iterum, addendo « ad annum » vel ad spatium temporis, brevius anno, quod correspondeat tempori in servitio militari transacto: ex. gr. « ad duos menses, ad tres etc., » (S. C. de Rel. 1. Febr. 1912).

Superior vel Sacerdos Professionem recipiens, respondeat:

Et ego, ex parte Dei, si hæc plene observáveris, promítto tibi vitam ætérnam.

℟. Amen.

Deinde imponens Crucem super humeros Novitii, dicat:

Accipe, frater charíssime, Crucem Dómini nostri Jesu Christi; ábnega temetípsum, ut hábeas partem cum illo in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Imponens Spineam Coronam:

Accipe, frater charíssime, Spíneam Corónam Christi Dómini: humília temetípsum sub poténti manu Dei et esto subjéctus omni creatúræ propter Deum.

℟. Amen.

Præbens sanctum Signum:

Accipe, frater charíssime, hoc sacrosánctum Signum salútis in tuæ Professiónis inexpugnábile vexíllum; et ut mílites sub eo bona milítia, esto Christo Cruci confíxus. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

℟. Amen.

Quibus peractis, statim in tono pœnitentiali alternatim recitatur

PSALMUS 132.

Ecce quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum. Glória etc.

Quo finito Sacerdos dicat:

℣. Confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempíterne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis et obediéntiæ exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et Crucem subíre fecísti: concéde propítius; ut fámulus tuus (vel fámuli tui) qui Te adjuvánte, illecébras sæculi superávit (sive superavérunt), per veram humilitátem et obediéntiam, in sancto Congregatiónis propósito júgiter persevéret (seu persevérent), et ad vitam pervéniat (aut pervéniant) sempitérnam.

Quæsumus, Dómine Deus, per vitam, mortem et sepultúram Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei genitríce María, cum beátis Apóstolis Petro et Páulo, atque beáta María Magdaléna, et ómnibus Sanctis, ut ab hoc fámulo tuo (seu ab his fámulis tuis) omnis spíritus immúndus procul abscédat, procul tota diabólicæ fráudis absístat nequítia, quæ non eum (sive eos) insidiándo circumvólvat, non laténdo subrépat: sit dilectíssimus iste Frater noster (seu sint dilectíssimi isti Fratres nostri) propter glóriam nóminis tui liber (vel líberi) ab omni impugnatóris incúrsu, et totíus nequítiæ purgátus (sive purgáti) discéssu.

Deus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatórum, Majestátem tuam supplíciter deprecámur; ut fámulum tuum (vel fámulos tuos) de tua miseratióne confidéntem (seu confidéntes) cœlésti protégas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves, ut tibi júgiter famulétur (seu famuléntur) et nullíus tentatiónibus a Te separétur (vel separéntur). Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Quibus finitis, fit per Ecclesiam Processio, et Novitius, bajulans sibi Crucem cum Spinea Corona, incedit post Superiorem. Interim tono pœnitentiali recitantur sequentes Psalmi:

PSALMUS 148.

Laudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna: *

laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cœli cœlórum: * et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum ejus:

Montes et omnes colles: * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora: * serpéntes, et vólucres pennátæ:

Reges terræ, et omnes pópuli: * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines; senes cum junióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum, et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

PSALMUS 149.

Cantáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum: * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in týmpano, et psaltério psallant ei:

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * et gládii ancípites in mánibus eórum:

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

PSALMUS 150.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro: * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Quo finito, Superior, seu Sacerdos, stans ante Altare, Novitio genuflexo in plano Altaris, dicit:

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Salvum fac servum tuum (vel servos tuos), Dómine.
℟. Et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Meménto congregatiónis tuæ.
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosíssima.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.
℟. Adorábo ad Templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinítus est thesáurus: piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes: ut qui peténtibus postuláta concédis; eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas.

Dómine, Jesu Christe, in cujus Nómine, etc. pag. 119, cum aliis quinque Orationibus, quæ sequuntur pag. 120.

Postea Sacerdos benedicat Professum et Adstantes, dicens:

Benedícat vos, omnípotens Deus: Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. Amen.

INDEX

PARS PRIMA

Rubricæ servandæ in sacris Functionibus.

PARS SECUNDA

Preces recitandæ in Sabbatis vel Dominicis in honorem B. M. V., nec non supplicationes Novendiales et Triduanæ et actio gratiarum.

PARS TERTIA

Preces persolvendæ in aliquibus Festis intra annum.

PARS QUARTA

De ritibus quibusdam Particularibus.

PARS QUINTA

De ritu postulantes S. Habitu induendi ac Novitios ad Professionem recipiendi.